de duabus conformibus, quæ veniant exequendæ, eoque proposito *sub die 7. Junii 1658.* affirmativa prodiit resolutio, pro dicta minori summa in secunda sententia Rotali contenta, undè exequutio effectum sortita est; Neutra verò Partium acquiescente, quia creditor prætendebat residuum, debitor autem repetere dictam summam solutam, commissa denuo causa in eadem Rota coram Albergato, datoque dubio, an dictæ sententiæ essent confirmandæ, vel infirmandæ *sub die 5. Decembris 1661.* prodiit resolutio pro confirmatione, ad limites secundæ sententiæ; Reproposita verò causa *sub die 19. Junii 1662.* ob difficultates habitas, nulla capta fuit resolutio, quod ansam dedit honestæ concordiæ controversiam terminari; Dictarumque *decisionum prima coram Verospio est impressa decis. 191. part. 12. rec.* & tertia coram Celso *est inter suas decis. 264.*

In his autem disputationibus, cum creditor aliam sui crediti probationem non haberet, nisi deductam ex aliquibus debitoris confessionibus extrajudicialibus, partim ipso creditore præsente, partim verò absente, & ex quibusdam epistolis familiaribus ab eodem debitore cuidam communi amico mediatori conscriptis, Hinc proindè super hoc puncto probationis tota inspectio fuit, an scilicèt confessiones essent benè probatæ per testes ad id inductos, necnè, præsertim verò emissæ Parte absente, cum illæ, quæ supponebantur emissæ Parte præsente, non benè probarentur, vel quia per testes singulares, vel quia æquivocæ, quidquid in primis decisionibus supponatur.

In hoc autem, punctus erat potiùs facti, quàm juris, super exceptionibus scilicèt personalibus testium, ac etiam super eorum dicto, & an essent contestes, necnè; Quatenus verò pertinet ad punctum juris, conclusiones videbantur planæ, ideoque modica discordantia erat inter scribentes hinc inde; Siquidem ego scribens pro debitore, admittebam conclusionem hodiè receptam, quod de canonica æquitate, in Urbe, & Statu Ecclesiastico, aliisque ecclesiasticis Tribunalibus, ac etiam aliquibus laicalibus aliorum Principatuum admissa, illa confessio extrajudicialis Parte absentæ, quæ de jure civili inducit solùm semiplenam probationem ex deductis per Mascard. *de probat. concl. 447. n. 1. & seqq.* sufficiat ad plenam, ac perfectam probationem; Potissimè verò, ubi concurrunt adminicula, quæ quandoque necessaria reputata fuerunt ex deductis apud Buratt. *decis. 901. num. 10. & 11. & decis. 928. num. 1. & in aliis.*

Dicebam tamen quod, nè detur exorbitantiarum multiplicatio, ut huic æquitati locus esse requiritur, ut eadem confessio benè concludatur per testes, tam circa istorum, idoneitatem, quàm circa exactam contextualitatem, de loco tempore, & verbis, adeòut verè adsit perfecta probatio naturalis, qua concurrente, æquitas canonica favore animæ principaliter attendenda, aliud non operatur, nisi moderatiorem subtilitatem juris civilis, super distinctione inter præsentiam, & absentiam creditoris; Ideoque circa ipsius naturalis probationis perfectionem circumspectè procedendum est, nè alias æquitas in iniquitatem resolvatur, ut benè cæteris relatis habetur apud Cavaler. *decis. 492. num. fin.* Adden. ad Buratt. *decis. 113. lit. C. & decis. 294. n. 8. decis. 466. par. 3. rec. decis. 195. n. 4. & 5. par. 10.* apud Afflict. *decis. 364. n. 4.* plenè *in Anconitana pecuniaria 11. Maii 1668. coram Bevilaqua* edita in casu, de quo *disc. seq.* Et consequenter dum testes ad id inducti plures paterentur exceptiones, tam in persona, quàm in dicto, adeout ex hac parte neque integri, neque contestes remanerent, ita quæstio ad hoc factum restringebatur.

Eoque magis advertebam rigorosè in hoc procedendum esse, quoniam quæstio erat inter laicos, atque tanquam in foro laicali ratione Principatus temporalis, ac agebatur de debito contracto in Urbe, ubi viget Statutum, ut servari debeat jus civile, ut in specie advertitur per Rotam *decis. 256. n. 1. & seqq. par. 6. rec.* Quamvis enim istud motivum non esset tutum solum, & de per se consideratum, quoniam ratio dictæ æquitatis inductiva, etiam laicis in foro laicali congruit, Attamen videbatur circumstantia aliqualiter considerabilis, ad effectum, ut magis circumspectè, ac rigorosè circa dictam benè concludentem probationem procedendum esset.

Reflectendo autem ad veritatem, agnoscebam, quod decisiones firmantes creditum in genere, vel in dicta summa minori, essent benè fundatæ, quoniam exceptiones, quas testes in persona, & dicto patiebantur, benè sanatæ, vel supletæ remanebant à pluribus adminiculis, de quibus in eisdem decisionibus, & præsertim ab epistolis familiaribus per debitorem amico, & mediatori conscriptis, & à probationibus (quamvis imperfectis), confessionis factæ ipsi creditori præsenti.

Quamvis enim periculosa, nimiumque exorbitans mihi videretur proposito infirmata *in d. prima decis. 191. par. 12. recent. n. 8.* & apud Cels. *dict. decis. 264. & prius decis. 153. par. 8. rec. n. 9. cum seqq.* ut scilicèt epistola familiaris quamvis tertio conscripta, tanquam species confessionis extrajudicialis factæ parte absente, ex eadem canonica æquitate ad perfectam probationem sufficiat quoniam ita esset tollere fidem, & commercium, cum pleraque fiducialiter cum amico dicantur, quæ alias negarentur.

Adeòut, ubi etiam agatur de confessione coram testibus, eatenus dicta canonica æquitas recipienda videatur, quatenus agatur de confessione seriò facta coram testibus, quos confitens testificaturos esse credere, potuit, vel debuit, secus autem ubi animo discurrendi fiducialiter cum amicis concordiam tractantibus, cum alias esset fidem tollere, omnesque tractatus benevolos impedire; Ad instar eorum, quæ habentur *sub titulo de testamentis* circa pias dispositiones, vel ultimas voluntates coram testibus patefactas, ut intelligantur quatenus seriosè, ac animo disponendi id exprimatur, & non aliàs; Ac etiam quia (ut dictum est), ista canonica æquitas aliud nō operatur nisi eam probationem quam lex civilis semiplenam reputat, discretivè ab ea, quæ Parte præsente fiat, plenam reddat, tollendo dictam subtilitatem præsentiæ partis, retenta tamen in reliquis, ejusdem juris civilis dispositione circa cōfessionis qualitatem, ac perfectionem, adeòut dicta propositio ita simpliciter, ac indefinitè sumpta parum probabilis omnino videatur.

Attamen negari non potest, quod hujusmodi epistolæ aptæ sint aliquod facere adminiculum cum aliis cōjungendum, ut præberet fomentum testibus, aliisque probationibus; Quare punctus erat potiùs circa dictæ confessionis interpretationē, quoniam cum inter partitas à creditore prætensas adessent duæ cōstituentes dictam summam scutorum 700. circiter, provenientes à cessione per actorem reportata à variis rei conventi creditoribus veris, hinc proinde dicebam, quod dictæ confessiones in genere, vel aliæ in specie dictam summam concludentes, benè referendæ venirent ad istam causam, de cujus implemento, vel satisfactione docebatur, ex vera, & recepta propositione, quod ad effectum, ut confessio confitenti præjudicet, atque perfectam probationem inducat, ea debet esse univoca, & concludens pernecessè, aliàs, ubi sit æquivoca, atque diversum intellectum habere possit, interpretanda est favore confitentis, ut præjudicet quominus fieri potest *ad text. in l. si quis intentione ff. de judic.* Mantic. *dec. 169. n. 6. & 205. n. 4. dec. 217. par. 6. rec. n. 9.* Add. ad Buratt. *decis. 443. n. 5.* & frequenter in omni materia; Et consequenter, dum dicta confessio referri poterat ad prædictas debendi causas veras, rectè faciebat ejus operationem, atque verificabilis remanebat.

Et quamvis, præsertim in ultimis decisionibus coram Celso, & Albergato, nimium insisti videatur in conclusione, de qua pluries in præcedentibus, quod scilicet ubi solutio habet causam expressam non intret quæstio, an potiùs in unam, vel in alteram referenda esset, ut erat casus, quod scilicet solutiones posteà sequutæ expressam haberent dictam causam resultantem, à præfata cessione; Attamen mihi videbatur, quod ista esset inanis evagatio, quoniam punctus non erat, an solutio magis ad unam, quam ad alteram causam referri deberet, sed erat circa interpretationem confessionis emissæ ante solutionem, quando dicta vera, & non controversa debendi causa præexistebat.

Major igitur difficultas resultabat ex dictis epistolis familiaribus mediatori conscriptis post jam sequutam dictā solutionem, quando ad præfatam causam jam per solutionem extinctam, referri non poterat; Verùm dicebam, quod talis difficultas non urgeret; Tum quia sublata dicta confessione probata per testes, ista fiduciariè facta cum amico, sola & de per se sufficiens non videtur ex supra deductis; Tum clariùs quia dictæ epistolæ continebant impugnativè potiùs, quàm approbativè enunciationem debiti ex causis in judicio non experibilibus aliquam solùm congruentiæ rationem habentibus, ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de alienat. & contract. disc. 49.* & pro quibus, tam ex dicta congruenti ratione, quàm ad lites evitandas, Jo. Laurentius offerebat assignare quædam nomina debitorum, quæ numericè quidem importabant dictam summam scutorum 750. circiter, in ultimis decisionibus habitam pro probata, effectivè autem importabant quid modicum ob eorumdem nominum ine-

inexigibilitatem de jure, vel de facto; Et consequenter non indè inferri poterat ad confessionem, quæ induceret perfectam, ac naturalem, & civilem obligationem in judicio experibilem, cum referri posset ad debitum de facto ex causa superiùs insinuata, in judicio tamen non experibile, & sic occasione fiduciarii tractatus concordiæ qui nullatenus attendi debet, cum aliàs (ut supra) esset tollere fidem, atque præcidere omnes benevolos amicorum tractatus super hujusmodi controversiis.

ANNOT. AD DISC. LXXIX. & LXXX.

De probatione per confessionem judicialem, & extrajudicialem habetur in eadem sede *sub tit. de Judic. disc. 23.* Et de confessione emissa in testamento habetur *sub tit. de Testam. disc. 70.*

ANCONITANA PECUNIARIA PRO LAURENTIO CUM ANGELO DE FERRETTIS.

Casus decisus per Rotam pro Angelo.

De eadem materia probationis debiti per confessionem extrajudicialem; Et quid ubi ista contineatur in testamento postea revocato, ubi contineat qualitatem, quod facta sit pro exoneratione conscientiæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Data filio contemplatione patris dicuntur peculium profectitium.*
4 *De confessione extrajudiciali absente parte, quando probet.*
5 *De rationibus ponderatis à Rota, ob quas confessioni in testamento non esset deferendum.*
6 *Confessio facta in testamento resolvitur in legatum, & non probat debitum.*
7 *Contrarium, ut probet quando est cum qualitate exonerationis conscientiæ.*
8 *Quomodo ista quæstio decidenda sit.*
9 *Ut spectari debeat substantia veritatis.*
10 & 11 *Ut omnes facti circumstantiæ non singulariter, sed unitim considerari debeant.*
12 *De confessione dotis, quando probet istius veritatem.*
13 *De eadem conclusione, de qua num. 6. & 7. & quæ species revocationis attendi debeat.*
14 *Probata substantia crediti circa quantitatem, leviores probationes attenduntur.*
15 *Non per hoc, quod non constat de liquidatione, cessat substantia debiti.*
16 *De conclusione, de qua num. 3.*
17 *Quando transactio restringatur ad expressa, vel ob amplitudinem verborū complectatur omnia non deducta &c.*

DISC. LXXX.

In testamento ad aliquos annos antè obitum condito, Fabritius cum assertione exonerationis conscientiæ, confessus fuit sibi diversis civibus à Laurentio filio legitimato juxtà seriem, de qua *sub tit. de feud. disc. 15.* in servitio Christianissimi Regis existente, transmissas fuisse pecunias, & bona in summa notabili; Cumque postmodum idem Fabritius, universalem omnium bonorum donationem inter vivos sub pondere solvēdi ejus debita fecisset Angelo ex fratre nepoti; Hinc sequuta ejus morte, Laurentius dictum Angelum donatarium pulsavit coram Gubernatore Anconæ ad solvendum dictum debitum in testamento confessatum, atque sententiam favorabilem reportavit pro summa scutorum decem mille; Introducta verò causa in Rota coram Bevilaqua, datoque dubio, *an constet de credito*, in secunda propositione *sub die 11. Maii 1668.* negativa prodiit resolutio, neque hucusque causa ulteriorem progressum habuit.

In disputationibus autem habitis in Rota, & coram dicto Gubernatore Anconæ, (coram quo etiam pro Laurentio scripsi,) tres fuerunt puncti; Primò scilicèt, an constaret de credito in genere; Secundò circa ejus quantitatem; Et tertiò super remissione, vel satisfactione resultante à concordia post dictum testamentum inita inter dictos patrem, & filium, per quam filius accepit à patre scut. 2500. pro omni, & toto eo, quod ab ejus bonis pro legitima, & alimentis, seu aliàs prætendere posset.

Quatenus pertinet ad primum, cum actor ad probationem transmissionis pecuniarum, ac bonorum è Gallia, aliisque partibus, plura in idem cumularet; Primò scilicet causam acquisitionis, in lucroso munere faciendi emptiones equorū in magno numero pro servitio dicti Regis, & Cardinalis Mazareni ejus primi Ministri; Secundò dictam confessionem in testamento; Tertiò plures alias confessiones extrajudiciales ejusdem patris; Quartò aliquas attestationes extrajudiciales ejusdem patris; Et quintò epistolam familiarem ab eodem patre conscriptam cuidam Religioso.

Scribentes pro Reo convento, cum quorum sensu procedit decisio desuper edita, criticando singulas dictarum probationum species; Quatenus pertinet ad primam, ponderabant inverisimilitudinem, quod scilicet adeo brevi tempore, ac in brevitate Laurentius tam magnum lucrum facere potuerit; Ac etiam quod ipse Fabritius pater tanquam antiquus benevolus, & familiaris Cardinalis, fuisset in Regio servitio, ejusque intuitu introductus Laurentius filius, indeque Scribentes inferebant ad conclusionem, de qua præsertim *sub tit. de dote, & alibi*, ut quod filio, patris intuitu, & contemplatione datum est, ipsi patri datum censeatur, unde propterea remaneat peculium profectitium.

Quoverò ad confessiones extrajudiciales, iidem Scribentes cum nimium copiosis allegationibus deducebant conclusionem, de qua *disc. præcedenti*, plenè etiam in decisiōne comprobatam, super rigorosa probatione confessionis extrajudicialis per testes idoneos, benèque contestes de loco, tempore, & verbis, quodque propterea admittendi non venirent testes singulares, quales in proposito videbantur esse ad id inducti; Et quoad testes disponentes in genere de transmissione bonorum, & pecuniarum, dicebatur esse simplices attestationes, cum non essent formiter examinati; Et ad epistolam conscriptam cuidam Religioso, dicebatur quod non esset benè recognita, ac ulterius, quod hujusmodi confessio fuisset simulata ad fraudandam donationem inter patrem & filium, vel ad aliud finem, non autem animo obligandi.

Demum verò, circa confessionem factam in testamento, decisio breviter tangit quasi per fugam tres responsiones; Primò scilicet, quod *decis. 63. num. 10. & seqq. par. 11. recent.* in qua latè firmatur, ut confessio facta in testamento cum qualitate exonerationis conscientiæ probet, quamvis illud sit revocatum, procedat ad pias causas; Secundò quod esset inter patrem & filium; Et tertiò quod non exprimatur summa certa, ideoque deficiat subjectum habile super quo Judex sententiam proferre valeat ad regulam *text. in leg. 3. & seq. Cod. de sent. quæ sine cert. quantit.*

E' conversò autem Scribentes pro reo, in hoc latiùs se diffundebant ad probandum, quod etiam generaliter, multò verò magis, ubi agitur de confessione suspecta inter prohibitos, dicta qualitas exonerationis conscientiæ videtur color quæsitus adjectus ad fraudandam legis prohibitionem sivè ex stylo Notarii, & consequenter, quod non immutatur natura ultimæ voluntatis, quandocumque revocabilis juxtà doctrinam Bartoli *in l. cum quis decedens §. codicillis ff. de legat. 3.* cum concordantibus plenè relatis per Giurb. *ad consuet. Messinen. par. 8. cap. 2. glos. 12.* Merlin. *contr. 85. lib. 1.* Cyriac. *contr. 347.* & habetur *sub tit. de Testam. disc. 70.*

E' conversò autem alii pro hac parte Scribentes, desumendo totum ex elaboratissimo voto edito per Judicem primæ instantiæ, in quo per integras paginas, seu columnas, penè centum DD. cumulantur, ad probandum dictam conclusionem, de qua *dicto disc. 70. de testam.* plenè exornata per Rotam *dicta decis. 63. num. 10. & seqq. par. 11. recent.* super dicta qualitate confessionis pro exoneratione conscientiæ.

Mihi videbatur, quod isti labores inanes essent, nullaque urgeret necessitas assumendi singulariter dictarum probationum criticationē, & præsertim disputationem quæstionis in abstracto super efficacia, & irrevocabilitate cōfessionis debiti factæ in testamento cum dicta qualitate exonerationis conscientiæ, quoniam ut advertitur *dicto disc. 70. de Testamentis*, ista præsertim quæstio videtur potiùs facti, quàm juris, decidenda pro facti qualitate, & circumstantiis circumspectè considerandis, ex quibus prudens Judex desumere debet, an dicta qualitas, seriò, & accuratè per testatorem, de morte, ac æterna salute in eo testandi actu cogitantem, id verè egerit pro recognitione veritatis, & ne aliàs ejus anima seu conscientia gravata remaneat, vel potiùs sit color quæsitus, vel affectata cautela legatarii; sivè stylus Notarii &c. Habendo præ oculis illud certum juris prin-

principium in omni forensi materia principaliter attendendum, ut non cortex, & figura verborum; sed substantia veritatis attendi debeat, quodque lex imposita non sit verbis, sed rebus, juxta dispositionem textus *in l. fin. Cod. de usur. cum concord.*

Applicando autem ad rem; Dicebam quod ubi ageretur de sola confessione facta in testamento absque alio extrinseco adminiculo, sivè de solis confessionibus extrajudicialibus desuper factis cum amicis, vel in dicta epistola, tunc omnia præmissa singulariter, ac distinctè examinando benè dicerentur, ob aliquam suspicionem, quæ desuper cadere potuisset; Non quidem ad fraudandam prohibitionem juris civilis donationis inter patrem & filium, cum ista quodammodo ab aula recessisse videatur, Tum ratione juramenti, Tum etiam ob novam introductionem peculii adventitii antiquo juri ignoti, ut alibi advertitur, sed quia ex deductis *dicto disc. 15. de feudis*, aliqua per agnatos circa successionem, ac testandi facultatem moveri potuisset controversia, ad quam indirectè tollendam hujusmodi cautelam adhiberi potuisset.

Verùm considerando omnia simul, ac unitim, cum consueta regula, adeo frequenter in omni materia enunciata, *ut singula, quæ non prosunt, unita juvent*, ita capiendo primo 31 moralium veritatis servitii per filium præstiti Regi in lucroso munere, ac etiam extrajudiciales attestationes, necnon alias confessiones, quamvis per testes singulares, & epistolam tertio conscriptam, non omninò perfectè probatas, tanquam adminicula confessionis contentæ in testamento, ita ista qualitas exonerationis conscientiæ vera remanebat, ac serio edita in recognitionem veritatis, & bonæ fidei.

In id ponderando ea, quæ habentur pluries *sub tit. de dote disc. generali 159. & disc. particulari 72. & seqq.* in materia dotis confessatæ, quod non sit vera dos, neque illius 32 veritatem probet, nisi concurrentibus adminiculis, circa quorum pondus, & efficaciam proceditur cum distinctione, an agatur de prejudicio tertii independenter venientis à confitente, vel ab eo causam habentis, cum jure tamen quæsito de tempore confessionis, vel è converso in præjudicium ipsius confitentis, vel ejus hæredum, seu causam habentium dependenter ab ipso confitente, & post concessionem; ut primo casu, majora, & efficaciora, in altero autem minora, & leviora sufficiant.

Hinc proindè, cum versaremur in hoc secundo casu donatarii universalis habendi loco hæredis, atque jus desumentis ex donatione post confessionem facta, ita certum videbatur, ut dictæ confessioni adeo efficaciter adminiculatæ omninò deferendum esse; Ideoque quatenus pertinet ad hanc primam inspectionem, super veritate debiti in genere, seu in substantia, reflectendo etiam ad solam veritatem, mihi videbatur, quod justitia Laurentio actori omninò assisteret.

Ponderando etiam circa revocabilitatem hujusmodi confessionum contentarum in testamento, vel alia ultima voluntate, non obstante dicta qualitate exonerationis con- 33 scientiæ, quod difficultas considerabilis fuisset, quando ipsa confessio in specie revocata fuisset, quoniam tunc intrat consideratio, de qua Faber. *in C. lib. 4. tit. 24. de usur. definit. 36. & alii*, quod scilicet possint stare simul, ut testator de tempore testamenti agnoscereet ejus conscientiam oneratam erga eum cujus se confessus est debitorem, postmodum verò ipse supervivens, debitum satisfecit, ejusque conscientiam exoneraverit juxtà ponderationes, de quibus *sub tit. de testam. disc. 45.* Secus autem ubi agitur de illa generica revocatione, quæ ex dispositione legis, vel ex clausulis, & formulis Notariorum per posteriorem dispositionem generalem de præcedentibus resultare dicitur, quoniam hæc verificabilis remanet in his, quæ pendent à disponentis voluntate libera, non autem in iis partibus, in quibus seriò, ac pro recognitione veritatis ut supra se agnovit debitorem.

Potissimè verò in hac facti specie, quod agebatur de donatione universali cum obligatione injuncta donatario solvendi in genere omnia ejus debita, sub quorum nomine de isto quoque intelligere potuit; Et sic non aderat specialis, & explicita revocatio, ac declaratio contrariæ voluntatis, in quibus terminis verè, & propriè cadit inspectio potestatis revocandi hujusmodi donationes, necnè.

Et quoad difficultatem incertitudinis, seu illiquiditatis, advertebam quod dubium in Rota disputatum non erat super confirmatione, vel infirmatione sententiæ Judicis 34 primæ instantiæ condemnatoriæ ad certam summam scutorum decem mille, quo casu difficultas cadere potuisset ratione excessus, vel non benè factæ liquidationis, sed erat generale, an constet de credito, super quo ex præmissis malè responsum videtur negativè, sed potiùs debuisset responderi affirmativè, reservando tamen liquidationem faciendam, etiam cum levibus probationibus, & adminiculis, quæ admittuntur circa summam, vel quantitatem, probata substantia, vel genere ex iis, quæ habentur collecta apud Bellon. Jun. *cons. 93. num. 9. & 10.* Cyriac. *controvers. 347. num. fin.* Gregor. *decis. 324. num. 4. decis. 87. n. 12. par. 6. recent. decis. 82. num. 21. par. 10.* apud quos, & alios habetur, ut in aliquorum sensu sufficiat solùm juramentum creditoris; Ideoque ad hoc propositum satis deferendum esse dicebam dictæ epistolæ scriptæ Religioso, in qua distinctè describebantur omnes partitæ junctis testibus, quàvis informiter examinatis; Vel quod procedendum esset cum terminis juramentis in litem, prævia taxa facienda 35 per Judicem ex deductis *sub tit. de tutor. disc. 8.* cum similibus; Non autem, ut ex defectu liquidationis omninò absolvi debeat debitor, quem in genere, vel in substantia constet esse debitorem.

Leve autem, ac penè contemptibile videbatur supra insinuatum motivum, quod filius intuitu patris inductus fuisset ad servitium Regium, undè propterea hujusmodi lucra, 36 & acquisitiones à patre provenirent, quoniam ubi ageretur de simplicibus donativis tunc benè diceretur; Secus autem, ubi de acquisitionibus ex labore, & industria ratione muneris vel servitii, quoniam nō per hoc quod pater obtinet pro filio officium nō venale quod annexam habeat administrationem, vel aliud munus, aut ministerii, vel negotiationis occasionem, indè sequitur, ut salaria, & alia emolumenta patri quærantur; Quinimò ubi etiam filius negotiaretur cum pecunia patris, & acquisitiones faciat, adhuc habenda est ratio ejus laboris, & industriæ, ut de lucris participet ex iis, quæ habentur *sub tit. de fideic. disc. 191. in fin.*

Quare istius causæ probabilis dubitandi ratio, cadebat solùm in secunda inspectione cōcordiæ, ac respectivè quietantiæ mediante solutione scutorum 2500. an scilicet istud debitum quoque complecteretur, necnè, atque in hoc certum, ac determinatum judicium pro veritate dari non potest, neque redargui possunt resolutiones de injustitia positiva quoniam ista est quæstio facti, & voluntatis, & consequenter arbitraria super efficacia probationum, seu præsumptionum unam, vel alteram voluntatem arguentium.

Ex iis autem, quæ super ista conclusione, seu materia 37 habentur præsertim deducta *sub tit. de feudis disc. 47.* quando scilicet transactio restringatur ad causam expressam, super qua erat controversia, vel potius ob verborum amplitudinem capiat omnia; Regula assistebat huic parti, quod scilicet, cum pro causa transigendi, narrata esset prætensio legitimæ, & alimentorum, aliorumque jurium filiationis jure competentium, non veniret istud creditum indifferens, & accidentale, tanquam inter extraneos, potissimè quia summa correspondebat solùm dictis juribus filiationis, ac alias redoleret nedum enormem, sed enormissimam læsionem in magno excessu, eo magis considerabilem, dum agebatur inter patrem, & filium minorem; Ideoque ut dictum est, quæstio restringebatur ad factum quod in magna parte pendebat ex statu hæreditatis, vel assis paterni tempore concordiæ, ad effectum conijciendi, an dicta summa scutorum 2500. responderet legitimæ, solisque juribus filiationis, cum tunc plana esset non comprehensio ex vulgari, & recepta regula, quod ex pretii quantitate desumitur Partium intentio, & quid in contractum deductum sit.

ANNOT. AD DISC. LXXXI.

De materia subscriptionis factæ in folio albo, an & quando sit obligatoria, & de aliis subscriptionem scripturæ concernentibus, Vid. *sub eod. tit. de Judic. disc. 29.* in quo agitur de probatione per scripturas privatas.

BONONIEN. DE CALVIS PRO JOANNE ET FRATRIBUS CUM UNIVERSITATE CREDITORUM JOANNIS DOMINICI DE CALVIS.

Casus disputatus in Rota, sub incerto exitu.

De probatione debiti per scripturam privatam habentem solam subscriptionem debitoris, an sit sufficiens, ob possibilitatem, quod subscriptio esset in folio in albo, ad alium finem fiduciariè alicui dato.

SUMMARIUM.

1 F*acti series.*
2 *Subscriptio dat robur scripturæ, & obligat.*
3 *Etiam si corpus scripturæ conscriptum sit ab intercessito.*
4 *Ad quid ista circumstantia sit considerenda.*
5 *Subscriptio facta in folio albo non obligat, nec præjudicat.*
6 *Declaratur, quando obliget, vel præjudicet.*
7 *& 8. Cui incumbat onus id probandi.*
9 *De eodem.*
10 *Quomodo hæc probatio sufficiat, ac attendi debeat &c.*

DISC. LXXXI.

Venientibus Joanne, & fratribus in concursu creditorum Joannis Dominici de Calvis pro credito libra- 1 rum 6400. in vim apocæ à dicto Joanne Dominico subscriptæ, opponebat Universitas creditorum de insufficienti probatione, ex eo quod illa subscriptio contenta esset in folio albo; Unde propterea introducta causa in Rota coram Albergato, post unicam disputationem absque resolutione, ampliusde causa actum non audivi, vel quia concordata fuerit, vel quia defensores mutaverit, ideoque incertus est causæ exitus.

In hac autem disputatione, non negabant Scribentes pro creditorum Universitate regulam, ut sola subscriptio debitoris debitum probet, quamvis corpus scripturæ aliena manu conscriptum sit, cum subscriptio sit illa, quæ perficit, ac informat actum, ex iis, quæ habentur supra *in Neapolitana disc. 95.* Seraph. *decis. 973.* Merlin. *decis. 90.* 2 *cum aliis per Prat. observ. 21. num. 5. & seqq.* Idque adeò verum, ut quamvis corpus conscriptum sit ab ipsomet creditore, vel altero in cujus favore scriptura cantat, id in consideratione non habeatur, vel quod obligetur ille, qui scribit, non qui subscribit, cum præsertim inter negotiatores id practicari soleat, ut advertitur apud Dunozett. *decis. 432. repetit. decis. 154. part. 7. recent.* in qua revocatur, vel declaratur *decis. 368.* Durani.

Solumque ista circumstantia, an corpus scripturæ conscriptum sit ab ipsomet creditore, vel interessato, vel alia persona suspecta, monitum facere debet Judicem ad magis 3 oculatè, & circumspectè procedendum super recognitione subscriptionis, quando super ejus veritate dubitatio cadat; Sivè quod istud sit unum ex adminiculis, vel præsumptionibus, quando aliæ concurrant super suspicione folii in albo, sed his cessantibus id non curatur; Multò verò magis in hac facti specie, quod ista circumstantia alicujus suspicionis inductiva non concurrebat.

Insistebant autem iidem Scribentes in eo, quod ista esset 4 subscriptio in folio albo fiduciariè actoribus dato, sive per eos domi reperto, & consequenter quod nullam faceret probationem, nullamque induceret obligationem Felin. *in* 5 *cap. quoniam contra n. 48. de prob. Ann. sing. 27.* Vivius *cons. 172. n. 9. lib. 2.* Caball. *cons. 11. n. 3. & seqq. lib. 1.* Grat. *discept. 172.* Prat. *d. observ. 21. n. 8. cum seq.* Duran. *decis. 200. n. 29. & 252. n. 3. & 4.* Addent. *ad* Burett. *dicta decis. 419.*

Non negabam è converso ego scribens pro Joanne, & fratribus hujus conclusionis veritatem in puncto juris, quatenus verificaretur in facto istud præsuppositum, quod subscriptio fuisset facta in albo, excepto casu, in quo, ut fre- 6 quenter contingit, subscribens sciret quid appponendum esset in corpore, atque ex præcedenti tractatu ad effectum aptandi melius scripturam, sive ob aliam circumstantiam, ita subscriptio ipsam scripturam præcesserit, cum tunc dicta conclusio cesset, ut apud Seraph. *d. decis. 973. n. 1.* apud Merlin. *dict. decis. 90. n. 2.* repetita post alterum Merlin. *de pign. dec. 16. cum concordantibus* apud Prat. *d. obser. 21. n. 8.* & apud Adden. ad Burett. *dict. decis. 419. n. 14.* Negabam tamen applicationem ob dictum factum non probatum, ac in dubio non præsumendum, ut apud allegatos.

Hinc proindè, ista pariter videtur quæstio potius facti, quam juris, an scilicet de hujusmodi circūstantia sufficien- 7 ter constet, nec ne; Juris autem inspectio percutit punctum præsumptionis, an id præsumatur, nec ne, cum exindè pendeat decisio, an & cui incumbat onus probationis, an scilicet creditori suam actionem, vel intentionem fundanti in scriptura probare subscriptionē post jam confectum corpus scripturæ, vel è converso, cum, ut sæpiùs in omni materia advertitur, ista sit virtus, vel operatio regulæ, seu præsumptionis juris, ut onus probationis in alterā Partē trāsfūdat.

In hoc autem, quamvis non desint Scribentes sequentes opinionem contra se fundantem in scriptura, quæ Imolæ referri solet, ex relatis per Menoch. *lib. 3. præsumpt. 66. n. 29. cum seqq.* Cost. *de jur. & facti. scient. centur. 2. dist. 45.* Attamen magis communis, & recepta est in contrarium; Tum ex regula quod delicta in dubio præsumenda non sunt, cum id contineat delictum positivum; Tum etiam favore commercii, ejusque libertatis, ac facilitatis præsertim inter negotiatores, inter quos (ut pluries in præcedentibus advertitur) procedi non solet cum formalitatibus actoribus juris, sed parvæ schedulæ, seu pagellæ reputantur plusquam publica instrumenta, ut patet ex supra allegatis, ac admittunt iidem Costa, & Menoch. verè istam conclusionem non agentes, sed potiùs alteram, pro regulanda limitatione superius recensita, quando scilicet subscribens fo- 9 lium in albo sciat quid in eo scribendum esset, & ad quem finem subscriptionem fecit, an scilicet ista scientia præsumatur, necnè; Ista verò circumstantia cessante, planum est quod habens scripturam à debitore subscriptam, habere dicitur intentionem fundatam, donec per id allegantem probetur contrarium, quoniam aliàs esset mundum involvere, atque libertatem commercii tollere, ideoque istam circumstantiam non præsumi firmatur *dec. 70.* post Zacch. *de societ. offic.* apud Merlin. *dict. decis. 90. num. 3. & per tot.* apud Duran. *decis. 136. num. 6.* Adden. ad Burett. *d. decis. 419. num. 14. in fin.*

Benè verum, quod cum hujusmodi folia in albo fiduciariè alicui tradi soleant, difficilis est hæc probatio, ideoque receptum, ac probabile est, ut desideranda non sit rigorosa, ac perfecta probatio, sed imperfecta, & adminiculativa suf- 10 ficiat, super quo tamen, eo modo, quo generaliter in conjecturalibus, & adminiculativis habemus, certa & determinata regula constitui non potest; Et consequenter erroneū est decisiones, ac doctrinas de uno casu agentes, quibuscumque aliis applicare, cum totum pendeat ex singulorum casuum particularibus circumstantiis prudenti Judicis arbitrio pensandis pro facti qualitate; Potissimum verò à verisimili, vel inverisimili, quod in his materiis principaliter attendi debet, ex vulgari, & frequenti axiomate, quod verisimilem imaginem habet veritatis, inverisimile autem illam falsitatis; Unde propterea in pluribus, ac pluribus quæstionibus frequenter super hoc puncto disputatis, sivè in Responsis pro veritate desuper traditis, modo pro una, & modo pro altera parte respondere opportuit, eodem tamen veritatis sensu compatibiliter retento; Atque ut pluries advertitur præsertim *sub tit. de fideic.* sæpè in his materiis conjecturalibus in uno casu aliquę conjecturæ, quamvis leves, ac modicæ in uno sufficiunt, in altero autem eædem, ac majores insufficiētes reputantur, quia sic unius, ac alterius casus qualitas, vel circumstantiæ exigant, In hoc autem esse debent partes oculati judicis inspiciendo præsertim majorem antiquitatem subscriptionis, quam scripturæ contentæ in corpore, quod judicio periorum scriptorum facilè dignosci potest, ac etiam affectationem, seu inverisimilitudinem, ut pluries Ego sum expertus; Et præsertim, cum disputaretur de interpretatione cujusdam testamenti mulieris, pluresque excitatæ essent quæstiones de apicibus, natum fuit folium subscriptum à testatrice, in quo cum recenti scriptura præcisè omnes quæstiones decidebantur, ideoque productoris imprudentia irrisa fuit, idque causæ alias dubiæ certam jacturam causavit.

NEAPOLITANA MUTUI PRO HÆREDIBUS ANGELI SARACENI CUM QUODAM CONVENTU REGULARI.

Responsum pro veritate.

An ex mutuo facto Abbati, vel Priori, seu Procuratori, acquiratur actio contra Monasterium, vel Conventum: Et quando creditori incumbat onus probandi versionem.

SUMMARIUM.

1 F*acti series.*
2 *Monasterium non obligatur ex mutuo facto Abbatis, vel Procuratori.*
3 *Declaratur si fit soli Abbati, vel Procuratori, secus si de consensu totius Capituli, ut tunc creditor, non teneatur esse solicitus de versione.*
4 *De distinctione inter causam necessariam, & voluntariam super obligatione versionis.*

5 *Declaratur casus circa versionis probationem.*
6 *Et quando versionis sollicitudo sit impracticabilis.*
7 *De ratione ob quam mutuum factum soli Abbati, vel Procuratori non obliget.*
8 *De inconvenientibus, & præjudiciis, quæ Monasterio resultare solent, etiam ubi mutuum fit de consensu Capituli, sed quod non debent attendi, & de ratione.*
9 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.*
10 *Et de decretis generalibus Congregationis non procedentibus in causa urgentiæ.*
11 *De præsumpta solutione.*
12 *De præscriptione.*
13 *Quando debeatur interesse debiti non soluti.*
14 *Pro debito contracto per Monasterium actio competit solum super fructibus.*
15 *Quod malè se gerant Religiosi fidem non servantes.*

DISC. LXXXII.

1 CApitulum cujusdam Conventus Regularium, constituit procuratorem quemdam ejus Religiosum, ad accipiendam mutuam pecuniam pro ejusdem Conventus necessitatibus victus, absque tamen usuris, vel interesse, & dummodò nõ obligentur bona Conventus in sorte principali juxta formam decretorum generalium Sacræ Congregationis, de quibus *in Caven. sub titulo de Regal.* Hujusque mandati vigore, Angelus Saracenus effectivè, mediante publico banco (juxtà illius Civitatis stylum, ut penè omnes pecuniarum solutiones per bancum fiant) quamdam summam mutuavit, quæ ab eodem procuratore soluta fuit illis, qui asserebãtur creditores ex causa victualium in dies datorum vel dandorum; Cumque sequuto obitu dicti Angeli, qui Religionis nimium devotus, per multos annos dicti mutui restitutionem dissimulaverat, ejus hæredes illam peterent, etiam cum interesse, juxtà illius regionis stylum; E converso autem per Religiosos opponeretur, de crediti insubsistentia ab initio, vel de præscriptione; Hinc proindè ex parte dictorum hæredum super quatuor consultus fui pro veritate; Primò scilicet, an pro dicto mutuo competeret actio contra Conventum, non probata extrinsecus versione; Secundò posita competentia, an obstaret lapsus diuturni temporis annorum 20. & ultrà; Tertiò an deberetur etiam interesse à die moræ contractæ per lapsum temporis; Et quartò quodam remedium pro dicti crediti assecuratione competeret super ejusdem Conventus bonis, ac effectibus.

Ad primum respondi, quod licèt regula esset favore Conventus, vel Monasterii, ut ex mutuo facto Abbati, vel Superiori, seu Procuratori non obligetur non probata versione in utilitatem; Ad instar eorum, quæ habemus in
2 mutuo facto tutori, vel curatori, vel administratoribus Civitatis, ac similibus administratoribus legalibus, ne alias in istorum facultate repositum sit supplantare eos, qui propria negotia agere non valentes, sub aliena necessaria administratione vivunt, ut generaliter *sub tit. de alienat. & contract.* Et in his terminis, cæteris relatis habetur *apud* Castropalao *oper. moral. quæst. 7. titul. de Just. commut. distinct. 4. puncto 5.* Seraph. *decis. 368. num. 3.* Et in terminis mutui contracti per Abbatem firmatur *in Leodien. pecuniaria 22. Junii 1657.* coram Bevilaqua, & *5. Martii 1663.* coram Cerro, *quarum posterior est impressa post* Zuff. *de legitim. process. disc. 83. & prima decis. 272. par. 12.* in cujus calce recensentur aliæ decisiones confirmatoriæ.

Attamen admissa, ac præsuppositа ista conclusione tanquam vera: Dicebam cessare ejus applicationem ad factum,
3 cum ea procedat, quando agatur de mutuo facto soli Abbati, vel procuratori, seu alteri administratori, absque consensu totius Conventus, aut Capituli, vel spreta forma tradita in mandato; Secus autem his concurrentibus; Tunc etenim mutuator rectè contrahit, atque Monasterium, vel Conventus obligatur, neque ipse tenetur esse sollicitus de versione, ut cæteris relatis apud Ann. *sing. 9.* Menoch. *de arbitr. casus 432. num. 25.* Rot. apud Merlin. *decis. 219. & 255. ac admittitur in dicta Leodien.* in qua difficultas consistebat in eo quod mutuum factum esset soli Abbati sine Capitulo; Et quod magis est sine causa, & cum non omninò bona fide, ad instar eorum, quæ habentur circa debitum contractum administratoribus Civitatis *sub tit. de alienat. & contract. disc. 23.* cum similibus.

Motivabam in ratione dubitandi de distinctione, de qua in supra allegatis *decisionibus* coram Merlino, inter causam
4 necessariam, & voluntariam, ut primo casu creditor teneatur esse sollicitus de versione pretii, quasi quod de eo in hac facti specie agi videretur, dum ex necessitate victus currentis ob temporum qualitatem, propriorumque redditduum deficientiam, narratum fuit istud mutuum factum esse; Verum credebam distinctionem prædictam non intrare, cum benè procedat in illa erogatione, quæ temporis momento, seu alias cautelatè congruè fieri potest; Puta quia contrahatur debitum pro extinguendo alio debito graviori; Sivè pro aliqua utili acquisitione facienda, Aut pro liberando Monasterium ab aliquo majori damno imminenti, ut (ex- 5
gr.) contingere solet in locis, in quibus bellum vigeat; ad effectum evitandi hostium, vel militum incursiones, & excidia mediante compositione, vel prompta contributione, cum similibus, cum tunc rectè mutuator sibi, ipsique Ecclesiæ, vel Monasterio consulere valeat mediante directa, & immediata erogatione in causam expressam, sivè (ut practicari solet), deponendo pecuniam vinculatam in S. Æde, vel publico banco exinde non admovendam nisi ad hunc effectum, cum alias aliqua malitia, vel culpa vacare non dicatur mutuator, qui adeò facilem, ac usitatam cautelam negligat.

Secus autem ubi (ut in hac facti specie), ista cautela est impracticabilis, quia nempè mutuum fiat pro necessitate
victualium, quæ minutatim, ac in dies emere opportet cum 6
pecunia manuali; Sivè quod pariter minutatim pluribus victualium venditoribus solvere oportet eorumdem pretium, cujus fides habita est, cum tunc dictus modus omninò incongruat, atque impracticabilis videatur; Ideoque oportet sequi fidem procuratoris, vel administratoris, quam totus Conventus sequutus est, & approbavit; Atque ad hunc effectum benè intrat distinctio, an mutuum fiat soli Abbati, vel administratori ejus privatam fidem sequendo, 7
vel fiat eidem, tanquam ad id specialiter deputato à toto Capitulo, cum in isto secundo casu cesset ratio collusionis, ac altera supplantationis, quam de facili Abbas, vel superior, seu administrator Ecclesiæ, vel Monasterii facere posset, dum habente Monasterio redditus sufficientes pro victualibus, aliisque expensis, ac oneribus; atque Conventu, seu Capitulo justè opinante, quod ex fructibus ad id assignatis, dictæ expensæ fiant, administrator dissipando in alios usus eosdem fructus, æs alienum contrahat, quod inconveniens cessat, quando totum Capitulum, necessitatem narrat, atque facultatem administratori tribuit ad accipiendam pecuniam mutuam.

Et quamvis etiam isto casu (ut pluries expertus sum), de facili detur fraus, vel supplantatio; Vel quia ipse superior, seu administrator cum falsis suggestionibus, ac præsuppositis extorqueat à Capitulo, seu Conventu hujusmodi facultatem, ut est nimium facilè, quoniam Religiosi reclusi viventes in claustris, ac cellis, omnia superiori, vel administratori credunt, sivè illi contradicere non audent; Vel quod, dicta causa vera existente, in eamdem à pluribus, ac diversis eædem summæ mutuæ accipiantur, (ut in hac facti specie supponebatur); Attamen istud est malum irremediabile, ac species casus, qui damno Monasterii potiùs, quàm mutuatoris, vel creditoris, (quoties probabilis collusionis, ac malæ fidei, suspicio abest) cedere debet, ex duplici ratione, seu juris propositione; Primò scilicèt, quod in concursu culpæ, major est illa ipsius Monasterii, cui rectè objici potest, ubi sibi imputet, cur minus fidelem administratorem præposuit, ideoque præponens teneri deberet de facto præpositi circa opus, vel ministerium, ad quod est deputatus, ut pluries in præcedentibus advertitur; Et secundo quod de duobus malis minus est eligendum, ideoque benignè cum hujusmodi mutuatoribus, vel creditoribus procedendum est, ne alias, fides Religiosis, & Monasterii omninò adimatur, adeòut in eorum indigentiis non inveniant succurrentem, quod potest esse maximi damni, ac præjudicii, ideoque magis expedit huic rarò, ac non de facili præsumendo periculo subjacere.

Hinc proindè in ista materia pluries, ac pluries occasione scribendi ad causarum defensionem pro earum opportunitate, five respondendi pro veritate, dicere consuevi idem, quod ferè in omnibus hujusmodi materiis, ex meo 9
sensu verificatur, ut scilicèt istæ sint quæstiones potiùs facti, quàm juris, pro facti qualitate, & circumstantiis decidendæ, attenta sinceritate actus, ac bona, vel mala fide mutuatoris, quæ in magna pendet à veritate, & qualitate causæ præexistentis, (in qua adhiberi non possint cautelæ, de quibus supra, quo casu ut advertitur *in Caven. sub tit. de Regal.* curanda non venit contraventio decretorum generalium Sacræ Congregationis prohibentium accipi pecunias

cunias mutuas ad interesse, vel cum pignoribus bono-
10 rum mobilium, sivè cum hypotheca bonorum stabilium, sine speciali licentia, quoniam id cessat, quando id exigat imminens necessitas, quæ has moras non patiatur, putà in casu belli divini, vel humani, vel incursus bannitorum cum similibus, cum tunc intret, una ex limitationibus, quæ traduntur prohibitioni *Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* ut *sub titul. de alienat. & contract. discurs. 1. & in aliis.*

Quo verò ad secundum quæsitum, Dixi resolutionem pendere ex circumstantiis facti, ex quibus deduci possit
11 præsumpta solutio juxtà terminos textus *in l. procula ff. de probat.* ex deductis *apud* Afflictum *decisione 13.* Surd. *decisione 105.* Merlin. *decisione 124. & infra pluries*, ad materiam præsumptæ solutionis; Non poterat enim prætendi præscriptio; Tum quia requiritur tempus 30. annorum juxtà terminos textus *in l. sicut, & l. omnes C. de præscript. 30. vel 40. annorum*; Tùm etiam quia saltem durantibus illis Religiosis, qui de mutuo conscii erant, durabat mala fides impeditiva præscriptionis, ad notos terminos *textus in cap. fin. de præscript.*

Ad tertium quæsitum, super puncto interesse à die moræ; De plano dixi respondendum esse contra creditores,
13 quamvis cum privato debitore ageretur, multo magis, cum Monasterio, vel Conventu Regularium, ob prohibitionem dictorum decretorum generalium; Quamvis enim in illius Civitatis, ac Regni Tribunalibus practicetur opinio decernendi interesse à die moræ, etiam non justificatis requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis, de quibus in sua materia *sub titulo de usuris*; Attamen ut ibidem pluries advertitur, Curia Romana id non admittit, cumque oporteret tractare causam in foro ecclesiastico, utique cum ista opinione procedendum esset.

Demum ad ultimum; Respondi quod exercibilis non esset actio ad ipsa bona in sorte principali, sed solum ad
16 fructus juxta ea, quæ habentur *apud* Royas *dec. 261.* cum aliis *in dicto tit. de alienat. & contract. disc. 1. & seqq.* detractis tamen necessariis pro alimentis, aliisque expensis currentibus juxta terminos *text. in cap. Odoardus de solutionib.* de quibus *infra*; Verum quia facta ista detractione vix aliquid superesse solet de fructibus, idcircò consului, quod procuraretur concordia eo meliori modo, quo posset, ut credo sequutum; Scandalosæ tamen sunt istæ controversiæ in Religiosis, qui fidei, ac justitiæ observantiam prædicant sæcularibus, quibus norma, & exemplar esse debent.

SUMMARIUM.

1 *De mutuo facto Abbati, quando obligetur Monasterium.*
2 *Monacus factus Episcopus, quando recuperet bona renunciata.*

ANNOT. AD DISC. LXXXII. & LXXXIII.

1 MOnasterium quando obligatum remaneat, ex mutuo facto Abbati, conferunt deducta *sub titul. de alienat. & contract. prohib. disc. 20.* in quo agitur, quando solus Prælatus præjudicare valeat Monasterio, nec ne, & latius *sub tit. de Regular. disc. 1. ex n. 108.* occasione agendi de intelligentia decretorum S. Congregationis prohibentium ne Prælati, ac superiores Regulares mutuas pecunias sub usuris accipere valeant.

De articulo autem singulari in hoc discursu contento, non suppetit occasio alibi disputandi, sed de eo habetur
2 solum remissivè *in d. disc. 55. de Regul. nu. fin.* Et videri poterunt deducta *sub tit. de Renunc. disc. 17.* de monacho facto Episcopo an redeat ad jura, & bona renunciata, & in quo remaneat monachus.

ROMANA MUTUI PRO AUGUSTINO JORDANO CUM STEPHANO SANAREGA EPISCOPO CONVERSANEN.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura resolutus pro Augustino.

An debitum contractum per Religiosum professum, electum, seu destinatum in Episcopum unde immineat egressus à Religione, sit validum, & obligatorium, adeo ut debitor ad solutionem urgeri possit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De judicio per contradictas contra absentem pro debito contracto in Urbe.*
3 *Monacus professus non habet facultatem contrahendi, & se obligandi.*
4 *Monacus destinatus, vel electus Episcopus non solvitur à religione.*
5 *Exceptio non numeratæ pecuniæ sublata est per obligationem Cameralem.*
6 *De judicio, de quo nu. 2.*
7 *De eadem conclusione, de qua nu. 4. an Monacus factus Episcopus desinat esse Monacus.*
8 *Inter mercatores proceditur de bono, & æquo, non autem per apices juris.*
9 *De contractibus filiorum familias remissive.*
10 *Monacus obligatur naturaliter, & quomodo.*
11 *De obligatione in tempore inhabili collata ad tempus habile.*
12 *Monacus assimilatur servo.*
13 *Quando servi obligatio valeat.*
14 *De communi usu, ac ratione, ob quam debitum sit benè contractum.*
15 *De exceptione non numeratæ pecuniæ, & quando attendatur.*

DISC. LXXXIII.

POstquam Joannes Stephanus monacus Cassinensis destinatus fuerat Episcopus Conversanen. quinimò in consueto examine approbatus, ac in Concistorio præ- 1
conizatus, debitorem se constituit per apocam Joannis Augustini duplarum 500. se subscribendo Episcopum, eo modo, quo in pluribus epistolis eidem Augustino conscriptis, aliisque scripturis, & actibus facere consueverat; Cumque priusquam sequeretur propositio in altero Concistorio, idem Jo: Stephanus per aliquod tempus à Curia se absentasset, atque Augustinus pecunia mutuata indigeret, hinc 2
per contradictas, juxtà receptam praxim, contra absentes pro debitis in Urbe contractis, ibique solvendis, contra eum obtentum fuit ab A. C. mandatum exequutivum, adversus quod debitor reversus, atque sequuta ejus propositione in Consistorio, assumpto habitu, ac statu Episcopali de tribus opponebat; Primò scilicèt de invaliditate judici per contradictas præviis diligentiis per Urbem juxtà stylum cum sæcularibus practicatum, eo quia tanquam monacus haberet domicilium certum, & cognitum in Monasterio, in quo debuisset citari, vel quod citari debuisset Procurator Generalis Religionis. Secundò de exceptione non numeratæ pecuniæ, sub cujus spe apocam conscecisse asserebat; Et tertiò de invaliditate obligationis factæ in statu monastico, dum monacus servo assimilatus facultatem contrahendi, vel se obligandi non habet, allegando in id doctrinam *Innocentii in cap. cum olim 14.* & Hostiens. *num.* 3
12. de privil. cum concordant. per Cyriac. *controv. 505. nu. 3.* Moron. *responsa 24. tom. 8.* Sanchez *ad præcept. Decalog. lib. 7. cap. 31. & communiter.*

Neque obstare dicebant Scribentes pro eo, quod destinatus esset Episcopus, quoniam ista sola destinatio, quini- 4
mò electio non facit verum Episcopum, neque eximit electum, vel destinatum à statu monastico, cum interim in omnibus dicatur verus monacus ex plenè deductis *per* Sanchez *ad præcept. decalog. dicto lib. 7. cap. 31.* apud quem cæteri de materia agentes.

His tamen non obstantibus, me pro Augustino scribente, dicti mandati exequutio decreta fuit, atque per Signaturam Justitiæ canonizata, cum solito rescriptio *sine præjudicio*, commissa causa appellationis in devolutivo in Rota, ubi pendet.

Quatenus enim pertinet ad secundam exceptionem non numeratæ pecuniæ, de facili ea neglecta fuit ratione obligationis cameralis, quæ in ventre continet renunciatio- 5
nem hujusmodi exceptionis, quæ proindè in foro videtur quodammodo abolita ex deductis *per* Zacch. *de oblig. quæst. 20. nu. 2. cum seq.* talisque est quotidiana praxis, adeòut in scripturis continentibus obligationem cameralem, in meæ forensis vitæ diuturno tempore, nunquam de ista formiter disputaverim; Multò verò magis dum dicta apoca non erat prima scriptura, quoniam precedebant aliquæ litteræ cambii, aliique actus, ex quibus ratione geminationis confessionis, etiam de jure dicta exceptio sublata remanebat.

Quo verò ad primam exceptionem concernentem ordinem

nem judicii, ea tollebatur ex iisdem, de quibus infra, super tertia exceptione respiciente justitiam, seù merita ne-
6 gotii principalis, dum debitor contraxerat, atque se subscripserat tanquam Episcopus, quo posito cessabat objectum, quoniam Episcopi, quamvis Regulares, more secularium in privatis domibus per Urbem sparsis vivere solent, ideoque cum eis eadem inconcussa praxis servatur, ut de hac praxi habetur in sua materia *sub titulo de judiciis*.

Tota igitur disputatio, tam in Tribunali A. C. quàm in Signatura fuit super tertia exceptione, circa quam dicebam, quod quæstiones examinatæ per DD. relatos *per*
7 Sanchez *ubi supra*, percutiunt diversos terminos, vel effectus circa statum monacalem, ac votum obedientiæ, aliaque ex dicto statu resultantia pro utroque foro, & quæ ut potè de apicibus juris ob diffidentes opiniones, tam Canonistarum, quàm Moralium, vix benè innotescunt juris peritis, ac Theologis, per quos etiam disputatur, an postquam monacus formiter electus est in Concistorio, undè propterea habitum, ac statum episcopalem assumpsit, dicatur verus Episcopus ante consecrationem; Istaque etiam sequuta adhuc remanet quæstio, an monacus factus Episcopus desinat esse monacus, ac omninò solvatur à votis Religionis, ut *per* Sanchez *loc. citat. lib. 6. cap. 6. cum concord. apud* Fab. *de* Ann. *cons.* 45. Molfes. *cons.* 1. *lib.* 1. & *cons.* 39. *lib.* 2. Rovit. *dec.* 10. Barbos. *de Episcop. alleg.* 144. Gregor. *dec.* 109. *nu.* 5. & infinuatur *sub tit. de renunciat.* & *sub tit. de Regular.* & *alibi*.

Hæc autem ignota sunt viris idiotis præsertim verò mercatoribus, & negotiantibus, cum quibus, ut pluries
8 in præcedentibus advertitur, non attenduntur juris apices, sed proceditur de bono, & æquo, & sola facti veritate inspecta, ac juxtà stylum negotiatorum, qui nesciunt has distinctiones, & subtilitates, sed eo ipso quod sciunt, & practicant quod alienis Religiosis per Papam declaratus est Episcopus alicujus Ecclesiæ, atque prævio examine approbatus, ipseque se tractat, & subscribit tanquam Episcopus, justè credunt contrahere cum Episcopo, non autem cum monaco.

Ad quod comprobandum deducebam ea, quæ habentur deducta *sub titul. de altenat.* & *contract. disc.* 37. circa obligationem filii familias, quando justè cum bona fide, abeo,
9 qui secum contrahit, sui juris, ac paterfamilias reputatur, adeòut credulitas non sit affectata, sed probabilis, & bonæ fidei, ex ibi deductis.

Magisque proximè ad rem advertebam, quod in magis
10 communi sensu Doctorum, de quibus *apud* Sanchez *ad præcept. dicto lib.* 7. *cap.* 31. *nu.* 37. dicta conclusio super invalida Religiosi professi obligatione, percutit præjudicia Religionis, vel Monasterii etiam in bonis ex persona Religiosi delatis, cum ex opinione Canonistarum in Curia recepta, acquisitio sit directa, & immediata, non autem mediata, ut volunt Civilistæ, ac habetur in sua materia *sub titul. de Regul.* & sub illo *de Renunciat.* ac etiam sub altero *de successionibus &c.* Secùs autem quoad personam ipsius, ejusque naturalem obligationem, quando hæc compatibiliter cum præjudicio Religionis, vel Monasterii impleri potest, adeòut inefficacia obligationis percutiat potiùs effectum, seu exequutionem, eò quia non adsint bona, in quibus experiri valeat. Et hic videbatur casus, quoniam in hac obligatione, Monasterium, vel Religio nullum habebat interesse, neque de ejus præjudicio agebatur, cum quæstio percuteret personam à Religione jam egressam, atque sæculo restitutam, dum redditus, & bona ad liberam dispositionem more sæcularium jam habeat, & consequenter ità omnis difficultas cessabat.

Præterea advertebam, quod ista quæstio super contractibus, & obligationibus factis per Religiosum professum, percutit casum, in quo iste contrahat tanquam talis, atque
11 in eo statu conveniatur; Secùs autem ubi obligatio respiceret futurum statum diversum, quo jam sequuto, ejus exequutio petatur, quoniam tunc creditor non dicitur sequutus fidem monachi, sed Episcopi, vel sæcularis qui liberam contrahendi facultatem habeat, dum attendendum est tempus habi e, in quod obligatio collata est ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de donat.* de donatione inter conjuges collata in tempus soluti matrimonii, & pro quando qualitas conjugalis jam cessaverit, ut valida sit, ac juris prohibitioni non subjaceat.

Ad id autem ponderabam simile de servo, cujus terminos DD. adhibent in Religiosis professis, ut *per* Azzor. *institut. moral. lib.* 1. *tit.* 11. *cap.* 11. *vers.* 6. *quæritur* Rot. *deci-*
12 *sione* 32. *nu.* 41. *par.* 9. *rec.* & *communiter*; Si etenim dominus declaret velle servum manumittere, eumque in statu libertatis reponere, præviis aliquibus solemnitatibus desuper adhiberi solitis, pro quibus explendis aliquas expensas facere oporteat, si hujusmodi servus, stante imminenti statu libertatis à domino jam declarato, debitum contrahat pro hujusmodi statu perficiendo, ità tanquam homo liber conferendo obligationem in dictum tempus, ac statum libertatis, quo effectivè sequuto, conveniatur, tunc uti- 13
que allegare non poterit nullitatem obligationis utpotè contractæ de tempore, quo de stricta juris censura in statu inhabili servitutis constitutus erat, cum hæc inhabilitas percutiat jus, & interesse domini, non autem obligationem personæ ipsius servi jam effecti liberi; Idemque in filio familias, puta quia imminente emancipatione per patrem declarata, seù de jure resultante ob Senatoriam vel Episcopalem, aut aliam sibi jam destinatam dignitatem, contrahat, quoniam licèt tunc adhùc sit in statu filii familias, attamen contrahit tanquàm paterfamilias, habito respectu ad istum statum jam imminentem, multò verò magis, ubi in causam illarum expensarum, quæ necessariæ, vel congruæ sunt tanquam dicti futuri status præparatoriæ.

Ità docente communi usu etiam necessario, adeòut adverterem, ut hujusmodi oppositio esset nimium præjudicialis universo ordini Regularium, qui ad Episcopatus pro-
14 movendi essent, quoniam dum adhuc sunt in statu Religioso regulari, & in claustris, pecuniis indigent pro expensis præparatoriis futuri status Episcopalis, quem de facto assumunt cum assumptione habitus ipsamet hora, in qua proponuntur in secundo Consistorio, super iis, quæ decorem ordinis Episcopalis concernunt, ac etiam super expensis processus Concistorialis; Nec non prompta pecunia indigent pro expeditione bullarum, quod impossibile est eis explicare, dum sunt in statu monastico sub voto paupertatis, nisi inveniant credentes, qui eis credunt non tanquam monacis, vel Religiosis, sed tanquam Episcopis, habito respectu ad futurum imminentem novum statum Episcopalem, & capacem, non autem ad alterum monasticum cessaturum.

Ideoque reflectendo etiam ad solam veritatem, prorsus injusta, malique, ac præjudicialis exempli hæc oppositio videbatur, nisi ex parte Rei conventi probaretur, vel sal- 15
tem vehemens fumus daretur de eo, quod ipse asserebat, quod scilicèt hæc apoca fiduciariè sub spe futuræ numerationis verè non sequutæ facta esset, cum implicita hujus exceptionis renunciatio contenta in obligatione camerali, quinimò etiam explicita, tollat quidem illam exceptionem, quæ de jure competit debitori, atque in creditorem transfundat onus contrariæ probationis, non autem tollat possibilitatem probandi contrarium, undè renunciatio explicita, vel implicita sive geminatio actus, aut lapsus temporis, tollunt illam præsumptionem quæ alias debitoris favore resultat, dictumque probationis onus commutant, ut de persona creditoris ad illam debitoris, non tamen inducunt præsumptionem juris, & de jure, neque tollunt facultatem probandi contrarium, ex iis, quæ ad materiam hujus hodiè in foro raræ exceptionis, plenè colligit Grass. *de except. cap.* 43.

MANTUANA RELEVATIONIS PRO ALIQUIBUS PARTICULARIBUS seù FAMILIIS CUM CAMERA DUCALI.

Responsum pro veritate.

De obligatione contracta per Procuratorem, seu fines mandati, an afficiat mandantem, ubi excessus non sit circa substantiam debiti, sed circa personam creditoris, vel circa alia accidentia.

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *De contractu livellario usitato in Lombardia.*
3 *Gesta per Procuratorem ultrà fines mandati sunt invalida.*
4 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
5 *An, & quando forma debeat impleri præcisè, vel sufficiat æquipollens.*
6 *Simulatio personæ non est prohibita, & non attenditur.*
7 *Et quando attendatur, & an facultas data possit exercerì cum seipso.*

8 *De*

8 *De consideratione in mandatario Principis.*
9 *Ratificatio æquipollet mandato etiamsi requiratur speciale.*
10 *Per quos actus inducatur ratificatio.*
11 *De obligatione debitoris relevandi fidejussorem, vel relevatores.*
12 *De difficultatibus in causis fiscalibus &c.*

DISC. LXXXIV.

CUm Mantuæ Dux Vincentius, pecuniis indigeret in
1 summa scutorum 60. m. nollet autem per se contrahere pro quidam honestate, atque Abbas Loredanus se obtulisset eas tradere sub eo contractu livellario in ea regione usitato, super quo particularem tractatum edidit *Manent. Doctor Mantuanus*, & agit Cyriac. *pariter Mantuanus controv.* 68. ac habetur actum *sub tit. de usur. disc.* 11. Hinc in præfati Ducis gratiam, Carolus Beroldus sub fidejussione illorum de Beroldis, de Bolderiis, & Azzola,
2 & aliorum dictum contractum iniit, eosque in ejusdem Duci gratiam relevare promiserunt quindecim idonei, & qualificati cives ejusdem Civitatis, quos ipsius Ducis procurator specialis indemnes relevare promisit; Quia verò dictus Loredanus solam summam scut. 40. m. præstitit, hinc reliqua summa scutor. 20. m. sub eodem contractu, eisdemque fidejussoribus, & relevatoribus, tradita fuit per Galeatium Canossam, ac ab eo tempore, in libris Cameræ Ducalis, utrumque debitum respectivè descriptum fuit, atque per plures annos soluti fuerunt fructus, seù livelli; Cumque dicto Duce defuncto ab hujusmodi solutione cessatum esset, atque pro secundo contractu inito cum Canossa, à liqui ex dictis fidejussoribus pro sorte, & fructibus coacti essent solvere summam scutor. 41. m. undè propterea pro eorum relevatione agerent contra dictos cives obligatos, vel eorum hæredes, seù bonorum possessores, istique pro eorum pariter relevatione actiones direxissent, tam contra Cameram Ducalem, quàm contrà aliquos tertios possessores bonorum Ducis Vincentii; Per Cameram, ac per istos excipiebatur de incompetentia actionis, seù inefficacia obligationis contractæ per procuratorem contra fines mandati traditi ad contrahendum cum diversa persona, non autem cum dicto Canossa, seù aliis, deducendo in id vulgarem, ac in suo casu veram conclusionem, ut gesta per
3 mandatarium ultrà fines mandati, vel contra ejus formam invalida sint, atque mandantem non obligent; Quare ex parte dictorum 15. civium, vel habentium causam ab eis desuper consultus,

Respondi, prorsus improbabilem, maleque fundatam videri hujusmodi exceptionem; Non quidem ex defectu, seù fallacia dictæ regulæ, in suo casu veræ, sed ex claro defectu applicationis ad casum; Procedit enim, ubi immuta-
4 tur substantia rei, seù alterativus excessus in aliquo deteriorem reddat conditionem mandantis, qui consensus defectum juridicè allegare valeat; Secùs autem, ubi id nil refert, atque alteratio nullum causat præjudicium, sed est circa, id, sine quo finis, vel effectus à mandante desideratus alias sortiri non potuisset, quoniam sub mandato dato ad aliquid peragendum concessa censetur omnis facultas gerendi ea, quæ de negotii natura, vel stylo, necessaria, vel oportuna sunt, & sine quibus id sequi non posset, seù quæ verisimiliter mandans concessisset, si cogitasset ad textum *in l. fin. §. ff. mandat.* cum ibi notatis Abb. *cons.* 65. *n.* 3. *in princ. par.* 2. Cravett. *cons.* 12. *n.* 12. Mant. *de tacit. lib.* 7. *tit.* 15. *n.* 36. & 37. Capyc. Latr. *consult.* 108. *n.* 13. & *communiter*.

Ad quod conferunt plenè collecta *per* Addent. *ad decisionem* 542. *nu.* 85. & *seqq. par.* 4. *rec. tom.* 3. & *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc.* 87. super regula, seù con-
5 clusione, an, & quando forma præcisè servari debeat, vel sufficiat implementum per æquipollens, quoniam ubi ea respicit certum finem, seù effectum, iste potiùs, quam formalitas verborum attenditur.

Finis autem, seù effectus erat habendi certam pecuniæ quantitatem, quam nihil refert haberi potius ab uno, quàm ab altero, ideoque ut advertitur *sub titulo de Cambiis disc.* 6. simulatio personæ non est in jure damnata, neque in con-
6 sideratione habetur, quoties non interfit, potiùs cum uno, quàm cum altero contrahi, undè propterea intrare valeat defectus verisimilis intentionis juxtà ibi exemplificata, ac etiam *eodem tit. de Cambiis*, pluries præsertim *disc.* 12. & 14. occasione agendi, an mandatum datum per debitorem
7 creditori accipiendi pecuniam ad cambium à quibuscumque concessum censeatur etiam accipiendi à se ipso, cum similibus.

Clariùs verò attenta qualitate mandantis, seù mandatarii, dum agebatur de Principe actum explicante per ejus 8
Consiliarum, ac primum ministrum, quem præsumptio non est egisse præter intentionem, ac non prævio oraculo, ut in specie advertitur *apud* Afflictum *decisione* 340. *nu.* 5. & 6. ideoque ista pariter est quæstio facti, & voluntatis regulanda ex facti circumstantiis, ac verisimili, vel inverisimili.

Omnisque difficultas penitùs cessabat ex subsequuta ratihabitione, quæ æquipollet mandato, etiam ubi istud speciale requiratur ex deductis *per* Mantic. *dicto lib.* 7. *tit.* 15. *n.* 50. 9
Gregor. *dec.* 525. *nu.* 4. & 5. Otthobon. *dec.* 116. *nu.* 21. & *passim*, dum istud creditum integrè descriptum fuit in libris Cameræ Ducalis ad favorem utriusque creditoris respectivè, atque utrique multorum annorum spatio soluti fuerunt fructus cuilibet pro rata; Et quod magis verè accepta fuit pecunia, per cujus receptionem ratihabitio inducitur ex 10
relatis *per* Capyc. Latr. *dec.* 26. *n.* 27. & 28. & *consult.* 105. *n.* 5. & *seqq.* Rota *apud* Buratt. *dec.* 301. *n.* 3. & 4. *apud* Dunozett. *dec.* 896. *n. fin.* & *frequenter*.

Et his positis, de plano intrabat obligatio debitoris relevandi fidejussores, vel fidejussorum relevatores Bald. *in l. quæro ff. locat.* & *l.* 2. *Cod. de sent. quæ sine cert. quantitat. cum* 11
concordan. per Surd. *cons.* 150. *num.* 3. *cum seqq.* Rota *apud* Coccin. *dec.* 91. *n.* 1. *dec.* 262. *post* Zacch. *de oblig.* & *dec.* 77. *part.* 11. *rec.* & frequenter, cum sit juris principium certum Ideoque advertebam quod causa digna non esset hac dote desuper expetendi consilium ab Advocatis Romanæ Curiæ, nisi ad id coegisset ea circumstantia, quod ageretur cum Camera Fiscali, contra quam fortè, in non magnis Principatibus, (non quidem ex intentione ipsorum Prin- 12
cipum, quæ ut plurimum recta est, sed ministrorum); non de facili habetur copiosa scribentium in loco aliæque cadere solent circumstantiæ, ex quibus etiam facillima, & plana, difficultatem patiuntur.

ANNOT AD DISC. LXXXIV.

PRocurator an, & quando præjudicet principali, habetur pluries *sub tit. de Judic. præsertim disc.* 18. *n.* 52. & 53. in materia attentatorum *disc.* 19. *n.* 13. de recursibus ad magistratus sæculares *disc.* 23. *n.* 29. in confessionibus, *disc.* 37. *n.* 13. in materia appellationis.

Et de qua culpa teneatur mandatarius habetur *sub tit. de Camb. disc.* 1. & 26. *tit. de locat.* & *Cond. disc.* 11. & *seqq.* & *disc.* 117. *de Regal.* & *alibi hoc eod. tit.* & fuit notatum *ad disc.* 16. *de Tutor.* & *Curat. &c.*

Quod autem per ratihabitionem sanetur excessus ultra fines mandati habetur in *tit. de feud. disc.* 111.

ROMANA LITTERARUM CAMBII PRO ANTONIO BORANO CUM N.N.

Casus disputatus coram A. C. sopitus cum temperamento non expectata resolutione.

An procurator, vel minister alicujus Magnatis, acceptando litteras cambii, efficiatur debitor de proprio ejus, cujus favore conscriptæ sint litteræ.

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *De materia acceptantis litteras ejus, qui pendente solutione decoxit.*
3 *Acceptans litteras, vel promittens administratorio nomine, non tenetur de proprio.*
4 *In claris non intrant quæstiones.*
5 *De eadem materia, de qua nu.* 2. *quando decoctio contingeret post lapsum terminum &c.*

DISC. LXXXV.

CUm Plumbini Princeps Jo: Baptista Ludovisius, do- 1
micilium habens in Curia Matriti, ob acceptas ibi pecunias in summis notabilibus, litteras cambii pro reimbursatione mutuantium scripsisset Antonio Borano ejus in Urbe Auditori generali, ac primo ministro, isto titulo in ipsis litteris adjecto; Dictusque Antonius, cautè in hoc agendo, easdem litteras acceptasset sub ejusdem nominis, vel tituli expressione, atque ad uberiorem cautelam expressisset promissionem solvendi ex effectibus ipsius scribentis, seu mandantis, ob quorum tunc promptam defi-

deficientiam, in consueto termino, dictarum litterarum implementum promptè sequi non poterat, Hinc illi quibus solutio facienda erat, opinantes ex dicta acceptatione, ipsum Antonium obligatum habere de proprio, illum utpotè satis idoneum pulsarunt coram A. C. in processu exequutivo, (qui sine dubio ex communi recepto usu pro litteris cambii competit,) atque Scribentes pro actoribus, dicebant casum esse planum, ac non admittere illas difficultates, quæ cadere solent, ubi scribentis decoctio sequuta esset, ante acceptationem, vel illius termino durante, ex iis, quæ in hac materia habentur *sub. tit. de*
2 *cambiis disc.* 25. & 26. dum ista circumstantia non concurrebat, & consequenter dicebant cessare omnem dubitandi rationem.

Quamvis autem ista quæstio, ex quadam indiscreta impatientia creditorum provenisset, cum ad aliquos dies, hujusmodi disputatione pendente, idem Antonius, ex effectibus scribentis occurrisset, undè propterea nulla accessit Judicis determinatio; Attamen, ut molestiis super bonis propriis occurreretur; Dicebam scribens pro Antonio Reo convento (etiam in sensu veritatis,) improbabilem, nullique fundamento innixam esse actorum prætensionem; Obligatio etenim acceptantis litteras cambii, quamvis non habeat in manibus de effectibus scribentis, quinimò etiam, ubi ista ante solutionem; pendente termino decoxisset, quoties de tempore acceptationis esset in statu integro juxtà distinctiones, de quibus *dicto disc.* 25. & 26. *de Cambiis*, procedit quando corresponsalis, cui litteræ directæ sunt, illas simpliciter acceptat, ac promittit, cum tunc ille, cui solvendæ sunt, cessante mala fide, & collusione, acceptantis, vel promittentis fidem potiùs sequi dicatur, atque intrat quæstio, an promittens dicatur fidejussor, seù expromissor scribentis juxta unam opinionem apud negotiatores, & in loeis mercantilibus magis receptam, vel potiùs dicatur mandatarius juxtà alteram opinionem, quam sequuntur Rotam, & Curia Romana, ac etiam Sacrum Consilium, aliaque Tribunalia Regni Neapolitani ex deductis *dicto disc.* 25. & 26. *de Camb.*

Secùs autem, ubi quis, acceptando, vel promittendo, expressè adiicit nomen procuratorum, vel institorium, cum tunc resultet clara declaratio nolle teneri de proprio, sed benè obligat principalem, seù mandantem juxtà cele-
3 bre *consil.* 510. *Decii*, quod in hac materia speciali circumfertur tanquam magistrale, & admittitur, ubi subscriptio, vel acceptatio titulum administratorium, vel institorium habet ex relatis *per* Rocc. *resp.* 11. *lib.* 1. & *in notabilibus registratis post eumdem lib.* 1. *sub tit. de lter. camb. notab.* 60. *num.* 164. *cum seqq.* Rot. *decis.* 40. *par.* 10. *rec.* Clariùs verò, dum hic non contentus expressione nominis, clariùs se declaravit, promittendo solutionem ex effectibus, & reddibus scribentis, undè propterea casus remanebat extrà omnem dubitandi rationem, rectè que in-
4 trabat vulgaris regula textus *in l. ille*, *aut ille ff. de leg.* 3. plenè exornata *per* Rotam *decis.* 44. *num.* 14. *par.* 11. *rec.* quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta; Potissimè verò, ubi mandans, seù scribens non negat in acceptante mandatum, undè propterea non cadit inspectio actionis de dolo, quæ intrat contra eum, qui se falsò procuratorem dicat.

In hoc autem proposito acceptationis litterarum cambii, & quando acceptans teneatur de proprio, non obstante decoctione, seù aliàs immutato statu scribentis; Pluries, & 5 præsertim *in alia Romana, seù Neapolitana litterarum cambii*, contra illos de Capocaccia, & alios, qui acceptaverant litteras scriptas à mercatore Neapolitano postmodum defecto, ad favorem domus probationis Societatis Jesu, & aliorum, cum immutatio status sequuta fuisset, non intrà consuetum terminum usus litterarum, (quo casu intrant distinctiones, de quibus *dicto disc.* 25. & 26. *de Cambiis*,) sed ad plures dies post lapsum terminum, pendente tamen adhuc solutione per creditorem in gratiam acceptantis benevolè dissimulata; Dicebam ita casum esse indubitatum contra acceptantem, cui mora prodesse non debet, neque benevolentia per creditorem secum adhibita debet huic præjudicare, dum ita creditor, lapso termino, ipsius fidem omninò sequutus dicitur, atque ità per A. C. judicatum fuit relaxando mandatum, canonizatum etiam à Signatura Justitiæ, cum isto casu cessare dicantur omnes illæ difficultates cadentes, quando decoctio sequatur adhuc pendente usu, vel termino, quando non intret ratio moræ, ut *dicto disc.* 25. & 26. *de camb.* ubi de materia.

ANNOT. AD DISC. LXXXV.

De acceptatione literarum cambii, aliisque ad eamdem materiam spectantibus videri poterunt notata in sua sede *sub tit. de Cambiis disc.* 25. & 26. & *conferunt deducta in hoc eod. tit. disc.* 163. *Et vide supra disc.* 51.

ROMANA PECUNIARIA DE ORNANIS PRO JULIO ORNANO CUM DOMINICO GENTILE.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Dominico posteà concordatus.

An pro debitis contractis per filium, pro exercendis publicis muneribus, vel pro ejus subsistentatione, competat actio creditori contrà patrem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Pater tenetur alere filium in eo statu, in quo ipse eum constituit.*
3 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
4 *De alimentis per virum uxori præstandis remissivè.*
5 *De differentia inter alimenta præstanda domi vel extrà.*
6 *Pater non tenetur pro filio, vel è contrà.*
7 *Secùs ubi pater consentit, ut filius assumat munus decurionatus.*
8 *Idem in omnibus aliis officiis.*
9 *Vel in militia, cui aliquod onus, vel servitium sit annexum.*
10 *Declaratur quomodo procedant conclusiones, de quibus num.* 7. & *seqq.*
11 *Quid ubi filius tutelam exerceat.*
12 *De eodem, de quo num.* 10.
13 *Quando pater teneatur de expensis legationis filii.*
14, 15, & 16. *De eadem conclusione, de qua num.* 7. & *seqq.* & *num.* 10.
17 *Ubi etiam pater teneatur, ad quid ejus obligatio extendatur.*
18 *Expenditur eadem conclusio, de qua num.* 7. & 10.
19 *In filio familias clerico, peculium adventitium habet speciem profectitii.*
20 *Quod ratiocinia non soleant attendi.*

DISC. LXXXVI.

Consentientes, & cooperante Julio patre, Carolus Antonius filius, adhuc adolescens annorum 20. circiter, Prælaturam Referendarii V. Signaturæ obtinuit, deindeque eodem Carolo Antonio procurante, ad munus Vice Legati Provinciæ Romandiolæ assumptus fuit, patre dissentiente, ac nolente subministrare pecunias pro itinere, ac necessaria suppellectili, aliisque expensis, undè propterea, Dominicus Avunculus illi mutavit scuta circiter 3000. Cumque ob aliqua accidentia præfatus Carolus Antonius deserto munere, quamdam ultramontanam regionem adiisset, atque immaturam mortem ibi passus esset; Hinc inter dictos Julium, & Dominicum orta est controversia super dicti mutui restitutione; commissaque per Sanctissimum causa A. C. cum voto duorum Locum tenentium, prodiit sententia Julii patris condemnatoria, adversus quam habitus fuit recursus ad Signaturam Gratiæ pro commissione appellationis, incertumque est quid rescriptum fuerit, dum concordia litis finem dedit.

In his autem disputationibus, duo fuerunt puncti; Primò scilicèt an actor, qui filio familias pecunias mutuavit ex causa dicti publici muneris Vice Legationis, actionem haberet contra patrem; Et secundò, an, & quæ actio competeret contra eumdem patrem, saltem ex causa alimentorum, aliarumque expensarum ab eo faciendorum in subsistentatione filii etiam in Urbe in statu Prælaturæ, in quo ipse eum constitui curaverat, secluso etiam dicto munere.

Quatenus ad hunc secundum punctum pertinet, ille circa theoricam juris modicam habuit discrepantiam inter Scribentes hinc inde, quæ potiùs erat facti, & applicationis, circa majorem, vel minorem quantitatem; Non negabam etenim ego scribens pro patre, istius obligatio- 2
nem subministrandi filio necessariam subsistentationem in eo honorifico statu Prælaturæ, in quo ipse eum constituerat,

tuerat, quodque ad eam ratam actor actione negotiorum gestorum, vel de in rem verso, repetitionem haberet pecuniæ in istam causam filio mutuatæ; Dicebam tamen id non procedere nisi ad limites ejus, quod pater erogaturus
3 fuisset propriæ domi, ac in propria mensa, nisi studiorum, vel alia justa causa aliter suadeat juxtà causam, de quo Rota *apud* Mantic. *dec.* 331. & 35. cum aliàs pater non teneatur alere filium extrà domum, ut infrà.

E' converso Scribentes pro actore (secluso primo puncto, de quo infrà, in quo principaliter insistebant, atque Judices adhærentes habebant,) non negabant veritatem dictæ moderationis, discrepabant tamen in quantitate, calculando expensas regulariter necessarias pro subsistentatione Prælati in Curia, vel alibi; Id autem, etiam cum sensu veritatis, dicebam nullam habere subsistentiam, quodque pater, cessante justa causa ad aliud non teneretur, nisi ad eas expensas quas propriæ domi erogaturus fuisset, nisi filius ab ea discessisset juxtà traditionem *glosæ originalis in l. sed Julianus* §. *quod dicitur ff. ad macedonian. cum qua pertranseunt* Salicet. Fulgos. Siccard. & *alii communiter in l. macedoniani C. eodem* Surd. *de alim. tit.* 4. *qu.* 14. *num.* 9. *cum seqq.* Seraph. *dec.* 1194.

Quod etiam habemus in materia alimentorum, quorum major est obligatio, quia ex causa onerosa, & correspectiva dotis, non autem solius miserationis gratia præstandorum per virum uxori, quod si injustè hæc divertit à viro, 4
eique obsequia conjugalia non præstet, ad nihil iste tenenetur, si autem excusabiliter, citrà verò ipsius viri culpam, hic ad aliud non tenetur, nisi ad expensas, quas in propria domo erogaturus fuisset, ut *in Neapolitana separationis thori* 4. *Julii* 1646. *coram Peutingerio*, & in aliis, de quibus habetur in sua materia *sub tit. de matrimon.* ubi de conjugum obligationibus.

Magna verò differentia est inter illam impensam, quam paterfamilias facit in subsistentationem filii propriæ domi habitantis, & in ejus mensa comedentis, quamvis in Præ-
5 laturæ, vel alio conspicuo statu constituti, & illam impensam, quam facere debet Prælatus exterus, qui domum aperiat, ac propriam familiam distinctam retineat, tàm ratione pensionis, quàm famulatus, ac etiam victus, adeo ut expensa Prælati exteri fiat in duplo, ac longè ultrà major, quam illa Prælati Romani, seù alias in Urbe domicilium, cum suis conjunctis, vel parentibus habentis, ut advertitur *sub tit. de Legatis* in materia alimentorum præstandorum extrà domum; Sed quia, ut dictum est, principaliter insistebatur in assecutione totius crediti ex primo puncto, seù motivo, hinc proindè de hoc secundo parum actum fuit.

Quoverò ad dictum primum punctum; Cum regula patri assistere, nè ipse pro filio, vel è converso filius pro pa-
6 tre teneatur, ut *toto titulo Ne fil. pro patr. &c.* & concordant omnes relati *per* Larream *alleg.* 112. *num.* 7. & 8. & *numer. fin.* Mantic. *disc.* 308. *nu.* 1. & *passim*; Hinc restringebatur quæstio ad limitationem deducta *ex text. in l.* 2. *ff. ad municipal.* & *l.* 3. §. *fin. ff. de pecul. l. sponte* §. 1. *ff. de muneric.*
7 & *honorib.* & *l.* 1. *C. quod cum eo cum concordan.* plenè expensis *per* Larream *dicta allegat.* 112. *num.* 11. *cum seqq. usque ad fin.* quod scilicèt si pater curat, vel consentit, filium creari Decurionem, tenetur ad omnia munera, quæ ex decurionatu resultant, & sic non solùm pro debitis necessariis pro subsistentatione in eo munere, sed etiam pro tu-
8 tela per filium administrata, vel aliquo munere Decurionibus committi solito, per quæ jura, latè cæteris relatis infertur ad officia, quę per filium familias exerceàtur ex prepositione patris Mastr. *de Magist. l.* 1. *c.* 28. Pasch. *de patr. potest. par.* 4. *c.* 5. Farin. *quæst.* 24. & *alii relati per* Larream *dicta allegat.* 112. *numer. fin.* Ubi agendo de obligatione quam in Hispania habent illi, qui præsertim sunt adscripti militiis, Calatravæ, Alcantaræ & Sancti Jacobi insequendi Regem, in bello, vel aliis occurrentiis per
9 se ipsum, vel in casu impedimenti teneræ ætatis per substitutum, latè probat, quod patres tenentur subministrare substitutis expensas pro filiis, qui ipsis petentibus in eo equestri ordine, vel statu constituti sunt; Atque ità inferebatur ad casum controversiæ, quod scilicèt quemadmodum ex solo consensu præstito à patre super assumptione status decurionalis, tenetur ad ea omnia munera, quæ in consequentiam ex decurionatu resultant, ità dicendum sit, quando pater curat, vel consentit, ut filius assumat statum Prælati V. Signaturæ Referendarii, quoniam hic est ordo, ex quo Papa, Gubernatores, ac Vicelegatos, aliosque officiales assumit.

Non negabam ego veritatem conclusionis, seù theoricę in abstracto; Dicebam tamen, ut in sensu omnium dicto-
rum Jurium, ac Doctorum, de quibus supra, id procedat 10
circa ea, quæ concernunt favorem, vel interesse Reipublicæ per filium administratæ, ratione decurionatus, vel alterius muneris, quod in consequentiam ex eo resultet, non autem interesse privati creditoris mutuantis filio in causam privatam, ut ita conciliando jura, quæ invicem pugnantiam videntur, advertit Barbos. *in l. si cum dotem* §. *transgrediamur num.* 14. *ff. solut. matrim.*

Et quamvis replicaretur, quod per eadem jura disponatur de obligatione patris erga pupillum ratione tutelę per filium administratę, ut *in dicta l. C. quod cum eo*; Attamen, 11
ut ex Salicet. & *aliis* advertit Barbos. *ubi suprà*, id pariter publicam potiùs, quàm privatam causam percutere dicitur, quoniam tutela est munus publicum, atque pupilli, & alii qui à natura, vel accidenti impediti, propria bona administrare non possunt, vivere dicuntur sub legis necessaria administratione, ac publica fide, qua elusi remanere non debent; Hisque terminis retentis admitti posse dicebam pro facti qualitate deducta *per*. Larr. & Mastrill. *ac & alios ubi suprà*, circa exercitium assumptæ militiæ, vel circa administrationem officiorum; Non autem ut teneri debeat pater ad illa debita, quæ filius ipso non consentiente, fortiùs autem eo dissentiente, contraxerit pro novo dispendioso munere per ipsum filium procurato, & assùpto, quamvis illud munus sit de iis, quæ Prælatis conferri solent.

Non est enim bona consequentia; Aliqui officiales assumuntur ex ordine Prælatorum, ergo eo ipso, quod pater consensum præstitit, ut filius Prælaturam assumat, se obli- 12
gasse censetur ad expensas necessarias pro quocumque alio munere, ad quod Prælati assumi solent, quoniam ita sequeretur, ut pater, qui curavit, vel consentit, ut filius Prælaturam assumat, teneri deberet ad subministrandas illas ingentes summas, quæ necessariæ sunt pro emędo Clericatum, vel Auditoratum Cameræ juxta ea, quæ habentur *sub. tit. de Regalibus disc.* 2. Vel pro subsistinendis dispendiosissimis Nuntiaturis Germaniæ, vel Galliæ, dum hæc munera Prælatis committi solent, quod utique omninò absurdum est; Quamvis enim *textus in l. Macedoniani C. ad Macedonian.* loquatur etiam de expensis Legationis, at- 13
tamen ita disponitur, quia supponitur quod de patris consensu à filio Legatio suscepta esset.

Fortiùs verò, ubi justa causa concurrat, ob quam pater assentiri recuset diversi muneris susceptioni; Prælatura enim simplicium Referendariorum utriusque Signaturæ, est quædam introductio, seù janua ad illum ordinem, ex 14
quo deindè per gradus, ac ætates, Apostolica Sedes, viros idoneos ad gubernia, & legationes, aliaque munera assumit, tanquam per speciem primæ tonsuræ, quam adolescentes assumunt, ita se adscribendo ordini clericali, ex quo Parochi, & Canonici, ac Dignitates, ac etiam Episcopi, & Prælati assumuntur; Non enim ex eo quod quis curat, ut ejus filius assumat tonsuram, atque ordini clericali in tenera ætate describatur, ad effectum, ut procedentibus ætate, & virtutibus juxta ingenii, ac prudentiæ experimentum ad beneficia, & dignitates promoveri valeat, sequitur, ut licitum sit filio, invito, vel inscio patre, accipere sub gravi pensione beneficium, vel dignita- 15
tem, aut assumere clericale officium dispendiosum ejus statui, ac ætati incongruum quodque pater ita obligatus remaneat; Ita pariter de Doctoratu, qui necessarius est pro janua, seu introductione ad officia cum similibus, cum id fabulæ speciem habere videatur; Stant enim bene simul, quod pater curet, ut filius quamvis adolescens assumat simplicem Prælaturam, aliud secum non ferentem, nisi propositionem aliquarum causarum in Signatura Gratiæ, & Justitiæ, ad quem effectum talis qualis habilitas sufficit, ut ita experiatur ingenium iuvenis, eumque incitaret ad virtutes, in quibus benè proficiendo ad majora munera assumi valeat, & tamen quod expertus mores, ac imprudentiam, eum aliis muneribus incongruum judicet, juxta consimilia exempla clericatus, vel doctoratus.

Non sic est in casu, de quo agit Larrea *dicta alleg.* 112. quoniam onus præstandi servitium Regi per seipsum, vel ejus substitutum in casu impedimenti est annexum ipsi mi- 16
litiæ, adinstar servitii, quod est annexum feudo, vel officio, ideoque eo ipso, quod pater obtinet pro filio feudum vel officium, seu militiam, se obligare dicitur ad servitium, tanquam consequens proximum, & connaturale, imò necessarium, non autem ad adeo remota, & accidentalia consecutiva.

Præte-

Præterea, scribendo in Signatura Gratiæ occasione appellandi à dicta sententia non appellabili, ob commissionem *appellatione remota*; Dicebam gravamen esse manifestum, saltem ratione excessus, quoniam ubi etiam 17
pręmissa admittenda venirent contra partem, locum tamen sortiri deberent solum in expressis necessariis, & congruis, non quidem ad præcisam necessitatem naturæ, sed ad necessitatem congruentiæ pro muneris, & personæ qualitate, non autem ad luxum, & superabundantiam, ad instar eorum, quæ, in alendi, vel dotandi paterna obligatione habemus, cum similibus; Et sic pro illo apparatu, & famulatu, qui sine præjudicio decoris prælaturæ, & officii, necessarius erat, ac sufficiebat, non autem pro illis exuberantibus expensis, quæ ad luxum, & pompam, majoremque inanem gloriam per Magnatum, seu valdè divitum filios, ipsis parentibus gratum habentibus, fieri soleant, ut in hac facti specie profusus Juvenis fecerat.

Cæterum, quatenus pertinet ad articulum juris in abstracto, super dispositione dictorum jurium occasione de- 18
curionatus, ita disponentium; Advertebam, quod istud, pro meo judicio, videtur unum ex Juristarum æquivocis resultantibus non animadvertendo ad temporum distinctiones; Quando etenim dicta jura prodierunt, ignota erat ea peculiorum distinctio, quæ per jus novissimum introducta fuit, atque filius familias incapax erat habendi quid proprium, & consequenter hæredem non habebat, neque debitum, vel creditum in ea radicari poterat, sed jure servi censebatur, ideoque non mirum si lex obligabat patrem consentientem, ut filius aliquod munus suscipiret, ad ea, quæ illi consequtiva sunt, cum alias consultum esse non posset.

Hęc autem ratio hodie cessat, cum filius familias habeat peculium adventitium, ac etiam habeat hæredem, atque sit capax debiti, & crediti; Multò verò magis, ubi agitur de filiis clerici, in quibus bona adventitia, castrensibus quodammodo in omnibus assimilata videntur, ut advertitur *sub titulo de testamentis disc.* 34. *& sub tit. de servit. disc.* 19
61. Verùm abstinui ab istius motivi deductione, ut evitarem consuetum objectum, quod essent mea solita ratiocinia de capite, sine auctoritatibus, stantibus tot doctrinis 20
in contrarium, cum quibus in cæca fide, absque temporum, vel casuum distinctionibus, mundus hodiè currit.

ANNOT. AD DISC. LXXXVI.

QUando pater remanet obligatus pro filio videri poterunt deducta *sub tit. de Dote disc.* 52. *& latius disc.* 161. *per tot.*

ANCONITANA MERCIUM PRO ALIQUIBUS MERCATORIBUS CUM ALIQUIBUS PROXENETIS.

Responsum pro veritate.

An creditor, qui pecunias, vel merces credidit uni ex sociis, obligatos habeat omnes alios, quamvis creditum versum non esset in negotium sociale, adeo ut socius ignarus à conscio obligetur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod ista quæstio sit frequens, & quomodo decidenda sit, seù in quo consistat.*
3 *Inter socios universales non datur meum, & tuum, atque unus obligat alterum, & quando dicatur societas universalis.*
4 *Et quomodo probetur &c.*
5 *In societate negotii particulari quoque socius obligat socium, si nomine sociali contrahat.*
6 *Quid in dubio, & quomodo probetur, an in causam socialem, vel particularem.*
7 *Quando dicatur societas, vel admissio ad participationem, & de differentia.*
8 *Quod socius obligetur ex facto socii etiam post dissolutam societatem.*
9 *Quod in facti specie debitum esset ex causa sociali.*
10 *An, & quando constare debeat de versione in causam socialem ad obligandum socium.*
11 *An obligatio socii excedere possit capitale positum in societate.*
12 *Quid ubi unus ex sociis dolosè agat.*
13 *De aliis controversiis civilibus.*
14 *Dominus obligatur per institorem, seù præpositum.*

DISC. LXXXVII.

PRæsupposita consuetudine mercatorum, ac negotiantium Anconæ, ut in verbo, ac fide proxenetarum credant merces exteris inferioribus mercatoribus, & negotiantibus, Oppidorum, & locorum adjacientium, habita fide de pretio, quamvis eorundem mercatorum inferiorum mandata, vel litteræ non exhibeantur, quodque ex hujusmodi fide, quæ proxenetis præstatur, notabile lucrum ex hoc proxenetico exercitio reportent ob hujusmodi commissionum implementum; Cum ab aliquibus annis inita esset societas trium proxenatorum, sub conventio ponendi in massa, singulisque annis dividendi omnia lucra ex dicto cujuslibet exercitio reportanda; Casus autem dedisset, ut unus eorum mentitis nominibus dictorum exterarum mercatorum, & negotium, plures merces, pecunia credita habuisset à dictis mercatoribus, eisque dissipatis, vel occulatis, fugam arripuisset; Hinc ex parte dictorum mercatorum, pro veritate consultus fui, an eis actio competeret contra præfati proxenetici negotii duos alios socios, quamvis ipsis creditum non esset. 1

Respondi, quod nisi aliæ alteratività circumstantiæ facti accederent, sed cum dicto præsuppposito procedendo, plana mihi videbatur affirmativa ipsorum mercatorum favore, contra dictos duos proxenetas; Quamvis enim ista materia debiti contracti per unum ex sociis, an alios ignaros afficiat, nimium frequens in foro esse soleat, adeo ut, (citrà exagerationem) ultra centesimum hujusmodi controversiarum numerum tractaverim, (in idem tamen coincidentium, adeò ut easdem propositiones, & doctrinas, modo pro una, & modo pro altera parte pro casuum diversitate, juxta Advocatorum morem, revolvere opporterit;) Attamen expertus sum (ut ferè in omnibus aliis forensibus materiis, quæ præsertim à voluntate contrahentium, vel morientium pendent,) istas esse quæstiones potius facti, & probationis, quam juris, cujus theoricæ generales videntur hodiè planæ, ac receptæ, totusque punctus est in applicatione, quæ pendet ex singulorum casuum circumstantiis. 2

Potissimum verò circa societatis qualitatem, an scilicèt sit universalis omnium bonorum, vel aliquorum, seù alicujus negotii particularis; Posita enim qualitate societatis universalis, nulla cadit juris quæstio, quæ absolutum sit ejus principium, ut socius ex facto socii indefinite obligetur, dum inter eos non datur distinctio mei, & tui, atque ob promiscuam generalem administrationem, generale reciprocum mandatum inter eos inesse dicitur, unde propterea quæstiones, (& quidem frequentes,) cadunt super hujusmodi universitatis justificatione, cum illa in dubio non præsumatur, etiam inter fratres universam parentum hæreditatem, seù majorum bona pro communi possidentes, ac etiam vitæ, seù victus, & habitationis communionem habentes, quoniam aliud est plurimum bonorum, ac hæreditatum possessio pro communi, seù mensa, & habitatio communis; Aliud verò communio universalis, cujus requisita sunt, ut nihil inter eos, privatum, seù particulare detur, quod aliis non sit commune, adeò ut non verificentur debitum, & creditum, neque meum, & tuum, neque detur redditio, vel solidatio computorum *ad text. in l.* 3. *& l. si fratres ff. pro socio*, cum concordantibus, de quibus cæteris relatis habetur *apud* Mantic. *de tacit. lib.* 6. *tit.* 10. Felic. *de societ. cap.* 10. Rot. *apud* Burett. *dec.* 397. *&* 998. plenè *dec.* 129. *par.* 10. *rec.* & habetur *sub tit. de Succession.* 3

Ex quibus liquet quod omnes quæstiones reducuntur ad factum, seù probationem, quæ nimium difficilis, ac rara est, neque certam, ac determinatam regulam recipit, cum probationū materiam dicatur arbitraria pro facti qualitate Judicis prudenti arbitrio regulanda *ex supra deductis præsertim dicta decis.* 129. *par.* 10. *recentior.* ubi latè de materia. 4

Sivè ubi, posita etiam certa qualitate societatis particularis alicujus negotiationis, quæ non impediat alia negotia proprio, ac privato singulorum sociorum nomine explicanda, etiam cum ipsomet negotio sociali, & cum se ipso tanquam diversa, & contradistincta persona, ex deductis *supra disc.* 62. Ita proportionabiliter, posito quod debitum contractum sit in causam, seù negotium sociale, non dubitatur in jure, ut socius per consocium obligetur etiam in solidum, ratione ejusdem reciproci mandati, quod inter eos datum dicitur, ut unus possit alterum obligare, cum eadem sit proportio circa vniversitatem totius assis in societate universali, ac circa universitatem negotii in societate particulari, ex iis, quæ post antiquiores habentur, *per* Rotam *apud* Celsum *dec.* 6. alias *dec.* 193. *post* Zacch. *de obl. camer.* cum aliis collectis *per* Rocch. *in ejus notabil. post primum volum. consil. notab.* 7. *de societat. n.* 21. *& notab.* 46. *nu.* 89. *&* 90. Idque verum quamvis separatim, ac in diversis locis negotium exerceatur; Verùm quæstiones pariter facti, & probationis esse solent, ubi explicitè non constat, 6
quod in causam socialem debitum contractum sit, vel alia conventio inita, undè propterea agatur de præsumptione juris, an proprio, vel sociali nomine actus gestus esset; Quod pariter certam, ac determinatam regulam non recipit, sed pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidendum venit, juxta eam normam, seù regulam, quam generaliter in conjecturali, seù adminiculativa materia habemus, præsertim omnia simul, ac unitim ponderando cum vulgari regula *ut singula quæ non prosunt &c.* Frequenter enim aliquæ conjecturæ in uno casu abundant, in altero autem eædem, ac majores non sufficiunt.

Aliaque pariter facti, ac probationis quæstio esse solet super ipsa societatis qualitate, seù natura in genere, quamvis certum sit, quod ageretur de aliquo negotio particulari, an scilicèt sit societas, vel potius admissio ad participationem utilium juxta distinctionem, de qua, aliis relatis, 7
apud Otthob. *dec.* 40. *repetit. decis.* 264. *post* Zacch. *de obligcamer. & dec.* 99. *post* Merlin. *de pignor.* ac habetur *in Romana participationis sub titulo de* Locato *disc.* 27. & insinuatur etiam *disc. seq.* Posita enim una, vel altera qualitate, juris theoricæ circa effectus exindè resultantes, planæ sunt, ut in casu societatis, debitum ab uno socio in causam negotii socialis contractum, obliget alterum, ut supra; Et è converso, exclusa societate, ac posita simplici admissione ad participationem, contrarium dicendum sit, ut in proximè *allegato disc.* 27. *de Locat. & conduct. & in dicta decis.* 40. Otthoboni, *& disc. seq.*

Adeoque verum est, ut posita societate, ac probatione, quod debitum, non proprio, & privato nomine, sed in causam socialem contractum sit, consocium obliget, ut 8
quamvis inter ipsos societas dissoluta esset, quod tamen negotiatoribus, atque negotii socialis fidem sequentibus, pro locorum, vel regionum stylo, non sit benè notificatum, adhuc eadem obligatio vigeat, ut advertitur *supra disc.* 62.

Applicando autem ad rem; Cum certa esset societas artis, seù negotii proxenetici, omniumque lucrorum ex dictæ artis exercitio resultantium, certumque pariter esset 9
in facto, quod creditum ex causa ejusdem proxeneticæ artis proveniebat, ob fidem, quæ ex enunciata consuetudine eis habetur, & à qua majus hujusmodi artis, vel exercitii emolumentum resultat, ex provisionibus, vel salariis, quæ obtinentur ab exteris inferioribus mercatoribus, qui sub ipsorum proxenetarum fide, quamvis majoribus mercatoribus ignoti, creditas merces obtinent, hinc proindè de plano intrare dicebam dictam receptam juris theoricam, seu conclusionem, ut socius ex facto socii obligetur, non obstante quod debitum in societatis utilitatem versum non sit, & in cujus versionis defectu in transmissa notula supponebatur totam vim constitui per defensores dictorum proxenetarum.

In hoc enim advertebam procedi cum æquivoco claro, quoniam ut advertitur cæteris relatis *in dicta decis.* 6. *Celsi* alias 193. *post* Zacch. *de Oblig. cam.* ista versionis inspectio 10
cadit, quando non constet, quod debitum in causam socialem, seù sociali nomine contractum sit, sed potius proprio, ac privato, (ut in dubio non data societate universali, neque data expressione causæ, vel nominis est præsumptio,) Tunc etenim, eatenus creditori contra consocium actio competit, quatenus constet de versione, idque potius utili actione de in rem verso; Sive quod ipso versio sit conjectura, vel argumentum, ut in causam socialem debitum contractum sit, quam ex causa dicti reciproci mandati; Sed ubi nomen, vel causa socialis accedit, tunc versionis defectus non attenditur, neque de illa creditor sollicitus esse tenetur cum actio non proveniat à versione, sed à reciproco mandato, quod unus alteri dediffe censetur. 5

Solumque isto casu cadit quæstio, an consocii obligatio 11
excedere possit quantitatem, vel summam in negotio positam, adeout ultra eam, ex reliquo ejus asse teneatur; Et in hoc regula est negativa, nisi facti circumstantiæ aliter suadeant juxta *cons.* 332. Anchatan. *num.* 4. *cum concordan. per* Mantic. *de tacit. lib.* 6. *tit.* 22. *num.* 8. Fontanell. *decis.* 506. *nu.* 11. *cum seqq.* Adden. *ad* Thesaur. *dec.* 136. Surd. *dec.* 213. *num.* 8. Rota Januen. *dec.* 14. *num.* 111. *Rota Romana apud* Dunozett. *decis.* 402. *nu.* 18. (ubi declaratur,) & in aliis pluries, ideoque pariter est quæstio facti potius, quam juris.

Et quamvis ex parte eorumdem proxenetarum motivaretur, quod non ageretur de contractu in causam negotii, sed potius de dolo, & fraude, tanquam per speciem furti, 12
accipiendo sub ementito nomine mercatorum merces, atque fugam arripiendo; Dicebam tamen id quidem considerabile esse inter ipsos, ad effectum, ut socius dolosus, alios relevare teneatur, totumque damnum sit suum, non tamen respectu creditorum, qui, ut advertitur *supra dicto disc.* 62. cum ibi allegatis, sequi dicuntur fidem, non unus, sed omnium sociorum, ipsusque proxenetici Collegii, quod ita isti erexerant, cum alias unius solam fidem sequuti non essent.

In hoc item proposito, frequenter in Curia de hoc disputari contingit, præsertim cum his, qui furnum, seù pistoriam artem exercent, quod cum plures in eodem furno se 13
ingerant, atque frumentum pecunia credita à mercatoribus, vel dominis casalium recipiant, uno eorum defuncto, alter idoneus, qui convenitur, obiicere solet, quod ille qui defecit, non esset socius, sed famulus; Verùm pluries in hujusmodi controversiis ego dicere consuevi, & præsertim *in una Romana frumenti* disputata coram A. C. pro Duce Castarello cum Thoma Ceccono, quod Aut alter, qui frumentum receperat, erat socius, & de plano intrabat obligatio consocii in solidum ex supra allegatis; Aut erat institor, & pariter dominus tenebatur pro debito contracto per institorem in causam negotii, cui præpositus fuit ad text. *in l.* 1. *ff. de instit. act. cum concord. collectis per* Giurb. *dec.* 88. *&* Add. *ad* Burett. *decis.* 85. ut pluries in præcedentibus de obligatione domini ex facto famuli, vel præponentis ex facto præpositi; Ideoque unum de duobus dicere oportet, atque quomodocumque dicatur, idem resultat effectus, dum aliàs fraudes nimium de facili committi possent, ac fides credentium eludi, ità (ut vulgò dicitur) collusive ponendo alios in medio.

MACERATEN. SEU FIRMANA SOCIETATIS PRO MARCHIONE RICCIO CUM PALLADINIS, vel CIPOLLETTO.

Discursus in congressu pro directione super casu pendente in Rota.

De eadem materia, an scilicet quis obligetur ex facto socii, adeout creditori competat contra eum actio directa: Et de differentia inter socium, & participem: Et an Fiscus, vel Respublica, seu Civitas in hac materia sit in aliquo privilegiata.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Cessionarius repræsentat personam cedentis, & omnia ejus jura exercet.*
4 *Creditori, vel locatori contra participem non competit actio atque aliud est societas, & aliud participatio.*
5 *Quando admissus ad appaltum, vel negotium dicatur socius, & contrahens ab initio.*
6 *Societas non præsumitur, & quomodo probanda sit.*
7 *De administratione publicæ Annonæ.*
8 *De obligatione civium, & particularium vendendi frumentum Annonæ publicæ.*
9 *An circa conclusionem de qua n.* 4. *datur differentia inter privatum, & Rempublicam.*
10 *In quo consistere dicatur privilegium Reipublicæ, & differat à privato.*
11 *De eodem.*
12 *Quod pupillus non habeat actionem contrà ministros inferiores tutoris.*
13 *Ut in casu participationis, neque Reipublicæ competat privilegium.*

DISC. LXXXVIII.

EXposito ad hastam publicam de more appaltu furni 1
publici Civitatis Maceraten. cum consuetis capitulis, illo

illo præsertim explanandi frumentum dandum à Civitate pro abundantia, illum suscepit Hyacinthus Palladinus, qui ad aliquos menses assumpsit in socium pro medietate Joannem Angelum Sambucum, cumque istorum ministri habuissent frumentum Civitatis ab Abundantieriis, qui etiam dederunt alterum frumentum, quod pro abundantia Civitatis per aliquos particulares datum fuerat, dictique particulares, defectis furnariis, actiones dirigendo contra Riccium unum ex Abundantieris, ab eo dimissi fuerint, reportata cessione jurium, tam ab eis, quàm à Civitate; Hinc Riccius, vel ejus hæres judicium in Salviano instituit super quodam prædio alias possesso per dictum Joannem Angelum, cujus hæres illud vendiderat, seu assignaverat Cippolletto possessori ex causa fidejussionis in quodam censu; Introductaque causa *in Rota coram*
2 *Taja sub die* 4. *Maii* 1666. ac dato dubio, an Salvianum competeret, (me in causa non scribente) negativa prodiit resolutio ex defectu hypothecæ, sine qua certum est ut hoc interdictum non competat; Ut etiam posteriori contra anteriorem creditorem denegatur, ut in foro quotidianum, passimque receptum habemus; In hocautem statu ex parte actoris meum expetitum fuit judicium in congressu prævio discursu; an adesset necnè hypotheca favore Civitatis, ex cujus cessis juribus actor veniebat contra dictum Jo: Angelum Assumptum à Hiacynto conductore, vel ab ipso die suscepti appaltus, vel saltem à die assumptionis in socium, seu participem.

Posita enim hypotheca, ex uno, vel altero tempore desumenda ad favorem Civitatis, planum remanebat bonum
3 jus actoris habentis jura cessa Civitatis, ex vulgari regula, quod cessionarius in omnibus repræsentat personam cedentis, ejusque jura exercere potest, quæ cessibilia, vel transmissibilia sint ad text. *in l.* 2. *ff. de hæredit. & action. vendit. cum concordant. collectis apud* Capyc. Latr. *dec.* 16. & habetur pluries in præcedentibus, cum sit conclusio plana, quoties data validitate cessionis, agatur de juribus indifferentibus, quæ transmissibilia, & cessabilia sint; Cadentibus quæstionibus in iis juribus peculiaribus, quæ cedi, vel transmitti non possunt.

Duo autem erant puncti in proposito cadentes; Primò scilicet, an admissio, quam Hyacintus principalis conductor fecit de Jo: Angelo subintrante in furno pro medietate, importaret veram societatem, vel potius simplicem participationem; Et secundò, an uno, vel altero casu, Civitati locatrici, hypotheca, vel alia actio directa contrà dictum assumptum competeret; Ubi enim inter hos conductores adesset vera societas, tunc eadem hypotheca ad favorem Civitatis contracta per Hiacyntum, afficiebat etiam Jo: Angelum socium, ut infrà; Secus autem in al-
4 tero parricipationis, cum tunc, creditori, seu locatori, contra participem nulla detur actio directa, neque intret regula, ut obligatio contracta per socium afficiat consocium, ex iis, quæ cæteris relatis, plenè habentur firmata *per* Rot. *apud* Otthob. *dec.* 40. *repetita decis.* 99. *post* Merlin. *de pign. & dec.* 246. *post* Zacch. *de obligat. cam.* atque præsupponitur per omnes tractantes hinc inde quæstionem, de qua infra in puncto sequenti, super privilegio Fisci, vel Reipublicæ, ac habetur particulariter deductum *sub titul. de Locato disc.* 28. ut etiam insinuatur *disc. præcedenti*.

Primus punctus revera potius facti, quàm juris esse videtur, decidendus cum distinctione, de qua *sub tit. de Locat. disc.* 27. ac etiam *disc.* 26. An scilicet ille, qui appal-
5 tum, vel aliud negotium suscepit, ab initio dixerit illud suscipere pro se, & persona, vel personis ab eo nominandis, vel potius susceperit pro se, cum facultate tamen assumendi socios; Primo enim casu, eo ipso quod aliquem nominavit, atque nominatus acceptat, iste dicitur conductor, seù contrahens ab initio, perindè ac si directè, ac immediatè ex tunc contraxisset; In altero autem, cum non intret dicta retrotractio, sed assumptio importet actum novum ex nunc regulandum, quæstio decisionem recipit ex facti circumstantiis, an scilicet istæ importent veram societatem, in dubio non præsumendam, sed plenè, & concludenter justificandam per actus univocus, qui eam sic per necesse inducant, non autem æquivocos, ac referibi-
6 les ad simplicem participationem, ex iis, quæ in hoc materia habentur *in dicta dec.* 40. Otthob. *ut supra repetit.* & prius *apud* Ubald. *dec.* 213. & 311. *cum aliis dicto disc.* 26. & 27. *de Locato*.

Ista igitur theorica posita in abstracto; Quæstiones desuper cadentes, videntur, ut dictum est, potius facti, & applicationis, quàm juris, certam, ac determinatam regulam generalem non recipientes, dum juxta generalem hujusmodi quæstionum naturam, decisio pendet ex facti qualitate, ejusque singularibus circumstantiis; His autem in hac facti specie ponderatis, ambiguum remanebat, an dicta admissio, formalem societatem, vel potius participationem redoleret; Cumque regula urgeret in contrarium pro societatis exclusione, idcircò fui in sensu, ut curaretur in hoc coadjuvari prohibitiones super aliquibus præsuppositis circumstantiis, quibus justificatis, in planum remanebat, ut actus importaret potius societatem, quam simplicem participationem, & consequenter super hoc puncto nullum efformavi judicium.

Quovero ad alterum punctum particularis privilegii Fisci, vel Reipublicæ; Ille in duas inspectiones distinguebatur; Primò scilicet circa juris articulum in genere, vel in abstracto, super hoc Fisci, vel Reipublicæ privilegio; Et secundò circa applicationem ad casum, stante quod debitum non proveniebat à frumento proprio Civitatis, vel Abundantiæ publicæ, sed ab eo, quod à particularibus civibus datum fuerat ejusdem publicæ abundantiæ Administratoribus, qui *Abundantierii* vulgò nuncupantur.

In hac secunda inspectione, mihi probabilius videbatur, ut intrare quoque deberet idem privilegium, quatenus istud adesset, nullaque differentia esset inter unam, ac alteram frumenti speciem, quoniam ut in hac materia annonaria pluries habetur *sub tit. de Regal. præsertim disc.* 44. & 45. 7
disc. 125. publicæ Annonæ administratio, dicitur publici juris, quæ penes Principem, ac Populum, seu Rempublicam residet, illaque non concernit solum administrationem illius frumenti, quod ipsa Civitas, vel Respublica in horreis propriis reponere curat, ad ità conservandam ubertatem, ac impediendam dardanariorum suffocationem, sive ad occurrendum extraordinariis indigentiis, sed etiam super omni alio, quod sub eorumdem publicorum administratorum fide, ac administratione cadit.

Cum etenim de jure, cives, vel incolæ habentes frumentum, per Rempublicam, vel publicæ Annonæ administratores, tempore pecuniariæ, seù alterius indigentiæ, quam- 8
vis inviti, cogi valeant ad vendendum frumentum, etiam habita fide de pretio retrahendo ab explanatione panis, & quandoque etiam pro inferiori pretio, quod per Principem, vel majorem Magistratum ad reprimēdam dardanariorum suffocationem rectè taxari potest, ac solet, ut locis proximè citatis habetur; Hinc proindè istud frumentum, quod à particularibus ità datur publicum quoque dicitur, atque sub administratione publica fide cadit, quoniam particulares non sequuntur fidem furnariorum, quibus de facto traditur, ad effectum, ut ad panem educatur, sed sequuntur illam Reipublicæ, seu administratorum ad id à publico deputatorum, ex deductis in hac materia *eisdem locis citatis præsertim dicto disc.* 125. *de Regalib.* adeout in hoc puncto nullam haberem difficultatem.

Ea verò cadebat in altero, an scilicet Fiscus, vel Respublica aliquod peculiare priv ilegium in proposito haberet; Et in hoc, pro affirmativa ponderabam eamdem auctoritatem Angel. *in l.* 1. *nu.* 1. *in ult. notab. ff. de loc. public.* 9
quam sequuntur Rebuff. Grat. Carlev. *& alii relati dicto disc.* 27. *de Locato*; In contrarium tamen in specialibus terminis Civitatis ponderabantur deducta *per* Tondut. *tom.* 1. *resol. civil. cap.* 59. *n.* 1. *cum seq.* apud quem cæteri, qui tamen loquuntur generaliter de actione directa non competente contra participes, vel alios ab ipso principali debitore, seù Appaltatore assumptos, non descendendo ad hoc speciale privilegium.

Quamvis autem attento numero auctoritatum, ac etiam attentis rationibus, probabilior videretur opinio *Angeli*, *& sequacium* favore Reipublicæ, seù alterius publici ap- 10
paltus, vel negotii; Adhuc tamen mihi supererat difficultas circa applicationem ad casum; Publicæ etenim causæ privilegium in eo consistere videtur, quod si ex intervallo quis assumat alterum in socium, adeout adsit quidem formalis societas, absque tamen altera circumstantia retrotractionis, quæ resultare solùm dicitur à nominatione, quoties contractus initus sit pro persona nominanda competere valeat hypotheca legalis ut infra, quoniam in privatis, posita etiam societate, bona consocii ex post admissi, non cadunt sub hypotheca de tempore suscepti appaltus contracta per conductorem, dum tunc non vigebat illud reciprocum mandatum, quod esse dicitur inter socios: & cujus ratione, unus alterum, etiam insolidum obligat, quia dum eo tempore nulla aderat societas, & consequen-

ter locator, vel creditor fidem sequutus non est socii posteà assumpti, qui poterat non assumi, neque inter locatorem, vel creditorem, ac istum assumptum, aliquis contractus, vel quasi, initus fuit, ex quo actio resultare valeat, cum actio dicatur filia obligationis sine qua dari non potest, eo modo, quo naturaliter non datur filius sine matre, ideoque meritò creditori alia non datur actio, nisi obliqua ex persona propria, ac directi debitoris, cujus dicitur legalis procurator, ejusque jura exercere potest, & prout ipsi debitori competunt, secus autem si non competat, quia nempè tempore habili, ac citrà fraudem cum ipso directo creditore, ac debitore respectivè, obligatio soluta non fit, ex iis quæ pluries in præcedentibus habentur ad materiam textus *in l. nomen Cod. quæ res pign. obligat. possunt cum concordan.*

In Fisco autem, vel Republica, cadere videtur in aliqua ratio peculiaris, ex qua resultet saltem illa tacita hy-
11 potheca, quæ de jure competit adversus ejus debitores, quasi quod ità intret ratio expensa per Angel. *ubi supra. & sequaces*, quod scilicet eo ipso ut quis efficitur socius habentis publicam administrationem, ipse quoque sub ea publicitate cadat; Quod tamen difficultate non caret ex iis, quæ in proposito subappaltatorum, vel exactorum, & ministrorum, qui per appaltatores vectigalium, aliorumque publicorum jurium deputantur, habentur *supra hoc cod. tit.* ac etiam *sub tit. de Regal. præsertim disc.* 86. ubi ponderatur simile de pupillo non habent directam actionem contra ministros à tutore deputatos.

Verum quidquid sit de his quæ sub maturiori judicio relicta fuerunt; Ubi etiam hoc privilegium admittendum
13 esset, advertebam illud procedere retentis terminis societatis formalis, quodque ità admissus verè fieret socius habens jus principale, seù coæquale in ea publica administratione; Secus autem ubi quæstio non sit super dicto effectu resultante à societate, sed super istius deficiente substantia, quod scilicet ille non esset socius, sed simplex particeps, qui formale jus in ipsa publica administratione habere non dicatur, & consequenter cesset privilegium in radice, cum ejus ratio non intret, ut *d. disc.* 27. *de Locato*; Ideoque tali casu non intrat alia actio, nisi obliqua tanquam contrà debitorem debitoris, quatenus ipsi principali debitori contrà participem actio competat; Hæc autem omnia dicebantur in forma discursiva, nihil desuper firmando, sed reservando determinationem maturiori judicio, postquam firmatum esset melius factum, ex cujus particularibus circumstantiis multa pendebant.

ANNOT. AD DISC. LXXXVIII. & seqq.

AGitur in his discursibus de materia sociali super qua videri poterunt supra *ad disc.* 75.

VITERBIEN. PECUNIARIA PRO SANCTE SERCHIETTO CUM PAULO CIOFO.

Casus verè decisus per Rotam.

De eadem materia, quando quis dicatur socius, vel particeps, sivè quando debitum contractum, vel negotium gestum per socium, dicatur in causam socialem, atque obliget consocium, necne.

Et quando damnum, quod in negotio sociali contingit, unius, & non alterius socii damno, ob culpam, vel aliud factum, cedere debeat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quomodo dicatur dissoluta societas facto unius.*
4 *Mixtura personæ diversæ, an faciat negotium diversum.*
5 *Quod aliud sit societas, & aliud participatio.*
6 *De stylo nobilium tenentium pecunias super negotiationibus.*
7 *Quod citrà novationem antiquæ societatis possit admitti novus socius ad negotium particulare.*
8 *Domum contingens post societatem dissolutam culpa unius, est ejus tantum.*
9 *Lucra, & damna negotii socialis, præparata durante societate, sunt communia etiam post dissolutam societatem.*
10 *Ex quibus probetur culpa unius ex sociis.*
11 *De alio casu controversiæ super eadem conclusione, de qua num.* 8.
12 *In culpa dicitur ille, qui non præstat operam personalem, quam præstare tenetur.*
13 *An, & quando culposus teneatur de casu fortuito.*
14 *De axiomate, quod facilius impediatur faciendum, quam tollatur factum, sive quod turpius elicitur, quam non admittitur &c.*

DISC. LXXXIX.

DE anno 1647. inter Paulum, & Sanctem inita fuit 1
societas mercium, seù fundaci ad sexennium duratura, sub variis legibus, illa præsertim, quod ipsi habere deberent complementum, quamvis alii interesse haberent; Cumque anno sequenti magna per Italiam frumenti penuria fuerit, hinc iidem, cum subministratione pecuniarum datarum per Marchionem Andream Maydalchynum, de lucris pro certis ratis participare debentem, demandarunt cuidam eorum correspondali Amsterdami, emptionem cujusdam notabilis quantitatis frumenti, cujus pars in itinere deprædata fuit, alia vero pars appulit portum Centum cellarum, seù Civitatis vetulæ, de mense Februarii 1649. vendique cæpit cum magno lucro de mensibus Martii, & Aprilis, circa cujus finem, Paulus de facto privavit Sanctem complemento subrogando Carolum ejus fratrem, atque scribendo correspondalibus, ne dicti Sanctis litteris, & subscriptionibus fides amplius præstaretur; Deindeque in mensibus Maii, & Junii respectivè, eam partem frumenti, quæ invendita erat, majoris lucri desiderio, Paulus transmisit ad Urbem, ubi charissimo pretio vendebatur; Cumque casus dedisset, ut circa idem tempus, ad eamdem Urbem appulisset notabilis quantitas frumenti exteri, ex provisione Annonæ Præfecti, qui propterea, pro exitatione frumenti Annonæ privilegiati, prohibuerat pistoribus ne aliud emerent, hinc ob frumenti deteriorationem à secunda navigatione sequutam, ac etiam ob superventam novam uberem recollectam, illud vilissimo pretio vendere oportuit, ità loco magni lucri, notabilem faciendo jacturam, ut in hac merce in annis penuriosis, frequens experientia docet.

Quare inter præfatos socios orta est controversia, an istud damnum deberet esse commune, juxtà societatis na- 2
turam, vel potiùs solius Pauli; Introductaque causa *in Rota coram Verospio sub die prima Decembris* 1659. ad favorem Sanctis prodiit resolutio super dicti damni pertinentia ad solum Paulum, confirmata 4. *Maii* 1668. *coram Calataiu subrogato*; Sed repropositа causa coram eodem *sub die* 8. *Aprilis* 1669. recedendo à decisis, contrarium dictum fuit, ut damnum esse deberet commune; In revisione autem *sub die* 5. *Decembris* 1670. recedendo ab ultimo, restitum fuit in primo loco decisis, atque in hoc statu causa pendet.

In his autem disputationibus (ultrà alios punctos ad rem non facientes,) de tribus actum fuit; Primò scilicet, an constaret de præsupposita facti circumstantia circa societatis dissolutionem sequutam ex facto voluntario Pauli cum privatione Sanctis complemento, & administratione societate durante contrà formam conventionis; Secundò, an istud negotium frumentarium esset idem cum negotio mercium, seù fundacario, est cujus legibus Sancti debitum erat complementum, atque coæqualis administratio, vel potiùs esset negotium novum, ac diversum, quod sub dicta conventione non caderet. Et tertiò circa effectum exindè resultantem, posita scilicet dicta dissolutione societatis, quodque sub illa caderet istud negotium frumenti, cujus deberet esse damnum post dissolutionem, ut supra, sequutum.

Primus punctus erat nudi facti, in quo benè justificabatur, quod Paulus, interdicendo de facta consocio adminis- tratione, confuetas litteras circulares correspondalibus scripsit, nè præstaretur amplius fides promiscuis subscri- 3
ptionibus sub nominibus Pauli, & Sanctis, ut de præterito sequutum fuerat, sed solùm illis, quæ conceptæ essent sub nominibus ipsius Pauli, & Caroli ejus fratris; Ac etiam aliundè benè justificabatur dictæ administrationis interdictio, quoq; transportatio frumenti à dicto loco Centumcellarū ad Urbem, quod causa damni fuerat, facta esset per solùm Paulū, ipso Sancte dissentiente, ac expressè protestate.

Super altero puncto, aliqua major fuit quæstio; Tùm 4
ob diversitatem mercium, seù negotiorum, dum prima societas fuit super mercibus fundacalibus, nullam connexionem habentibus cum hoc negotio frumento in remotis partibus empti; Tùm fortiùs ob mixturam alterius perso-

næ, quæ in dicto negotio fundacario nullam habebat participationem; Ideoque Scribentes pro Paulo dicebant, ita claram remanere novationem, seù diversitatem, ex iis quæ in materia novationis à diversitate personarum resultantis, cæteris relatis habentur *infrà hoc eodem titul.* pluries.

E converso, ego, & cæteri pro Sancte scribentes, stantibus pluribus justificationibus deductis per causæ Patronum (per quem juxtà commendabilem stylum pertinet onus agendi de iis, quæ facti sunt) ut istud negotium esset filiale, ac dependens ab altero fundaci, eodemque antiquo sociali nomine per eos initum esset.

Quatenus pertinet ad objectum mixturæ alterius personæ, quæ difficultatem inferre videbatur, deducebamus distinctionem de qua habetur *duobus discursibus præcedentibus*, cum auctoritatibus ibi deductis, atque in causæ decisionibus huic parti favorabilibus præsertim in illis 4. *Maii* 1668. & 5. *Decembris* 1670. *coram Calatatiù*; Quod scilicet Aliud est societas, Aliud verò admissio alicujus ad participationem, dum particeps verè socius non est; Quodque admissio dicti Marchionis ad istud particulare negotium, eàm pro subministratione promptæ pecuniæ, quàm etiam pro ejus protectione (quæ attenta temporum qualitate magna erat, illaque in hujusmodi negotiis nimium proficua esse solet,) importaret simplicem participationem, non autem societatem, cum ipse nunquam proprium nomen accomodasset, minusque in negotii administratione se ingessisset, qui nimò etiam hujusmodi participationem occultantem esse debere optasset, ut consuetudo est nobilium, & qualificatorum virorum, qui, pecunia affluentes, ità sub negotiationibus, quæ ab aliis exercentur, ad aliquod lucrum eas tenere curant, absque eo quod formalem societatem contrahant.

Præterea, quamvis hæc responsio sufficeret, eaque solùm Rota contenta fuerit, Ad exuberantiam tamen advertebam Ego, quod ubi etiam dictus Marchio admissus fuisset ad formalem hujus negotii frumentarii societatem particularem, absque aliqua mixtura in dicto altero negotio fundaci, non tamen exindè inferri poterat ad diversitatem negotii, vel societatis inter ipsos Paulum, & Sanctem antiquos socios, quoniam novitas negotii erat in ordine ad dictum Marchionem noviter admissum, non autem quoad ipsos socios inter se; Iste siquidem novus contractus duplicem contrahentium personam habebat, Unam scilicet repræsentatam à dicto Marchione; Et alteram à dicto antiquo negotio sociali, omnibusque sociis unum corpus constituentibus, unamque personam repræsentantibus, eo modo, quo plures pro communi, hæreditatem, vel feudum, seù alia bona possidentes, contractam cum tertio inirent, quoniam quoad tertium est novum negotium, à commune diversum, sed quoad ipsos socios, vel cohæredes, est effectus societatis, vel communionis, ejusque continuatio, dum ipsi quamvis materialiter plures, unam tamen socialis negotii personam repræsentant, ideoque diversæ personæ mixtura rectè compatibilis remanet, tum continuatione antiquæ societatis inter socios quoad se ipsos.

Quoverò ad tertium punctum juris, modica, peneque nulla fuit quæstio, quoniam certa juris conclusio est, in contraria intermedia decisione non negata, ut damnum in negotio sociali contingens post dissolutam societatem, facto, & culpa consocii, qui alteri administrationem prohibuit, totum sit socii culposi, non autem commune, juxtà *textum in l. cum duobus §. si in cocunda §. damna*, & §. *quodam sagariam ff. pro soc. cum plur. concord. eod. tit.* Alex. *cons.* 99. *num.* 7. & *cons.* 133. *in fin. lib.* 2. Mantic. *de tacit. lib.* 6. *tit.* 21. *num.* 1. & *seqq.* Felic. *de societ. cap.* 21. *per totum*, latè Surd. *cons.* 12. *num.* 31. & *seqq.* Michalor. *de fratr. par.* 2. *cap.* 31. cum aliis, de quibus in causæ decisionibus præsertim prima *coram Verospio*, cum qua pransunt aliæ, super ista conclusione, quæ in puncto juris est vera, adeout in aliis disputationibus *coram Calatatiù*, scribentes in contrarium, eam ampliùs non controverteret, sed principaliter insisterent in aliis punctis, potiùs facti, quàm juris, quod scilicet non constaret de culposa dissolutione societatis, quodque istud esset negotium diversum ab altero.

Dictus verò recessus intermedius *sub die* 8. *Aprilis* 1669. provenit ex unico facti præsupposito, quod damnum, quamvis de mensibus Maii, & Junii detectum attamen inesset initio factæ emptoris, quando societatis fine dubio durabat, & consequenter quod intraret conclusio in suo casu vera, & quam ego, & cæteri non negabamus, de qua apud Ruin. *cons.* 216. *num.* 1. & *seqq. lib.* 1. Surd. *cons.* 65. *num.* 17. Gratian. *disceptat.* 276. *num.* 41. & *alii in decisione*, quod damnum, vel lucrum durante societate præparatum, seu originatum, commune esse debet, quamvis post dissolutam societatem detegatur, quoniam tunc rectè intrat dispositio textus *in l. adeò ff. de acquir. rer. domin.* ubi adducitur sæpiùs insinuatum practicum exemplum excutientis grana à spicis, quod scilicet declaratio non importat novum actum, sed aperturam ejus, quod jam inerat, sed nobis tunc ignotum erat; Meritò autem recessum fuit, ex cessante facti præsupposito, quoniam de tempore dissolutæ societatis, ac etiam per totum mensem Maii, ac notabilem partem Junii, pretium frumenti potiùs creverat, atque negotium fuisset notabiliter lucrosum, ideoque damnum contingit post dissolutam societatem, ob neglectam venditionem debito tempore, undè propterea duplex factum culposum aderat; Primò scilicet interdicendo de facto administrationem consocio, qui rectè dicere poterat, quod si ipse in administratione continuasset, curasset debito tempore vendere; Et secundò ob remotionem frumenti à loco per socios destinato, eo trasportat ad alium diversum, ob quem verè damnum contigerat; Ideoque resolutiones huic parti favorabiles, (reflectendo etiam ad solam veritatem) justæ, beneque fundatæ videbantur.

In proposito autem dictæ conclusionis, ut damnum contingens negotio sociali, esse debeat solùm socii culposi; Id pluries disputavi, præsertim in una Romana societatis pro Georgio Chiozza cum Emanuele Gripparo coram Camerario, coram quo prodiit sententia Giorgio favorabilis, atque præparata disputatione in Camera, seu coram Præside dohanarum de voto Cameræ, credo quod concordia litem terminaverit, dum de causa ampliùs actum non audivi; Cum enim inter Georgium, & Emanuelem inita esset societas super mercibus ferici ad quasdam remotas regiones navigando, gratia majoris lucri exportandis, ut ibi venderentur per ipsum Emanuelem, qui operam, ac industriam in sociali negotio præstabat, Georgio præstante pecuniam; Casus autem dedisset, quod ipso Emanuele non existente in navi, tam istæ, quàm aliæ merces in ea existentes occupatę essent per Classem Francorum, jure belli tanquam bona Hispanorum, undè propterea oportuit, cum notabili sumptu, eas in Gallia recuperare; ob justificatum errorem dicti præsuppositi, atque ita negotium remanserit damnosum; Hinc dicebam scribens pro Georgio ex eisdem auctoritatibus, de quibus supra, ut damnum deberet esse soliùs Emanuelis consocii culposi, dum in culpa dicitur ille, qui personaliter tenebatur ire, & non ivit, ut apud Cyriac. *contr.* 166. *num.* 26.

Et quamvis replicaretur, quod id provenerit ex casu fortuito, ad quem eatenus culposus tenetur, quatenus culpa ordinata esset ad casum; Secùs autem ubi casus ille contigisset, sivè ipse Emanuel fuisset præsens in navi sivè non; Attamen quidquid sit de ista conclusione in abstracto, de qua habetur actum *sub tit. de Locat. & conduct. disc.* 11. *cum duobus sequentibus*; Cessabat difficultas ex defectu applicationis; Tum quia præsumptio est in contra culposum, qui propterea concludenter, ac præcisè probare debet, quod etiam si culpa non adesset, casus contigisset ex collectis per Surd. *cons.* 12. *num.* 64. & 65. Cyriac. *dicta contr.* 166. *num.* 40. Rot. *decis.* 266. *num.* 11. *par.* 5. *recent.* Tùm etiam quia rei eventus contrarium docuit, quod scilicet ipsomet Emanuele justificante, quod merces non erant inimicorum, vel subditorum Regis inimici, sed personarum neutralium, illarum restitutio demandata fuit; Undè propterea si fuisset præsens in navi, tunc potuisset id ostendere Classis Præfecto, atque ità impedire, ne deprædatio sequeretur, cum facilius impediatur faciendum, quàm retractetur jam factum, ex vulgari axiomate, quod multa facta tenent, quæ fieri prohibentur ex collectis per Barbos. *axiomat.* 93. *num.* 3. Ac etiam ex altero dicterio, quod turpius eiicitur, quàm non admittitur hospes, quo etiam Juristæ utuntur, ut per Alex. *cons.* 213. *num.* 7. *lib.* 6. Surd. *cons.* 64. *num.* 7. & *alii frequenter*; Potissimè verò ex ea circumstantia, quod agebatur de societate, in qua unus ponebat pecuniam, alter verò operam, ac industriam personalem, ità principaliter electam.

VI.

VITERBIEN. LAUDATIONIS PRO MUTIO ORPHINO CUM FRANCISCO FRANCESCHINO.

Casus disputatus coram Camerario, incertus est exitus, credo sopitus per concordiam.

An creditor actionem habeat contra debitoris approbationem, seù laudatorem, qui fidejussoris loco stare dicatur; Et quatenus habeat, quomodo excussio facienda sit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod laudator non teneatur de proprio, neque laudator efficiatur debitor.*
3 *Quid de laudatore, & approbatore in litteris cambii.*
4 *Quomodo ista quæstio decidenda sit, & quando laudator tunc teneatur.*
6 *Etiam in casibus, in quibus laudator non tenetur, cessat accedente dolo.*
5 *De laudantibus, vel approbantibus famulos.*
7 *De eadem conclusione, de qua n.* 2. & 3.
8 *Ad quid fidejussio, vel approbatio operari ioriù extendatur.*
9 *Excussio principalis quomodo fieri debeat, ut agi valeat contrà fidejussorem.*
10 *Computa, & solidationes cum principali debitore afficiunt fidejussorem.*
11 *Quando, & quomodo id procedat.*

DISC. XC.

1 MUtio tenente appaltum Thesaurariæ patrimonii, de quo *sub tit. de Regalibus disc.* 22. Cum ob segetum secationem, expediret præventivè conducere operas debito tempore promptas, ratione subjectæ materiæ, quæ dilationem non patitur, ideoque soleant rustici hyberno tempore, eorum operas præventivè locare, recepta certa quantitate pro arra, seù impræstantia, talisq; conventio fieri soleat per unum, vel duos à propra patria discedentes tanquam aliorum uncios, seù mandatarios, quorum tamen fidem conductor sequitur; Atque Joannes Lana obtulisset Mutio 400. operarios tempore messis pro conventa mercede, cujus pars sub nomine arrhæ, vel impræstantiæ pro eorumdem subventione tempore penuriosò, ut supra præstaretur; Mutius verò illius fidem cognitam non haberet; Hinc inita capitulatione juxta morem, promisit Mutius observantiam, quatenus infrà certum terminum, dictus Joannes exhiberet litteras approbatorias ejus personæ à Francisco, qui litteras commendatitias pro eo scripserat; Undè propterea Franciscus alias litteras scripsit, in quibus præsertim continebantur hæc verba (ex materno Italico idiomate in latinum translata) *unde Ego illum approbo, ut ei impræstantia fieri valeat, quoniam est persona tutissima, & tanquam talem ego eum promitto, ideoque absque aliquo scrupulo poterit ei consignare pecuniam, & assecuro quod observabat pactu*; Cum autem ab observantia conventorum dictus Joannes in parte defecisset circa numerum operariorum, ex quorum defectu notabile interesse conductor passus est, quoniam in ea operarum urgentia oportuit alios invenire operarios pro longè cariori mercede; Hinc idem Joannes agnita ejus obligatione reficiendi hoc damnum, in solidatione computorum super operis jam præstitis, se constituit, ac declaravit Mutii debitorem in certa summa, pro qua ipso Joanne non solvente, Mutius coram Camerario egit contra Franciscum laudatorem, seu approbatorem, assumptaque desuper disputatione, quatuor erant puncti; Primò, an ex dicta laudatione, seu approbatione fidejussoria obligatio resultaret; Secundò quatenus sic, an intelligenda veniret solùm de pecunia tunc data, vel generaliter pro observantia totius contractus; Tertiò, an obstaret excussio principalium debitorum; Et quartò an solidatio facta cum dicto Joanne, ejusque sociis, ipso Francisco ignaro, eum afficeret.

2 Quatenus pertinet ad primum, super quo principalis disputatio fuit, Scribentes pro Francisco fundamentum constituebant in auctoritate Cephal *cons.* 437. & Menoch. *cons.* 179. qui scribendo in eodem casu probant, ut laudator, seu approbator non teneretur de proprio, deducendo in idem ea, quæ habentur apud Joseph. Ludovic. *decis.* 33. & magis proximè plenè firmata per Borrell. *cons.* 47. ubi de approbatore scribentis litteras cambii.

Scribens ego pro Mutio, (cum sensu etiam veritatis) dicebam ut contrarium in hac facti specie probabilius esset eodem modò, quo substitueram *in Romana*, *seu Anconitana pecuniaria* pro Aloysio Greppio cum Cocchis mercatoribus Anconitanis, quod scilicet istis Aloysio scribentibus, ut impleret quamdam tractam sibi faciendam per quemdam Pighettum, quoniam litteræ haberent suum finem, in illis præcisis verbis inter negotiatores usitatis, *che havranno suo fine*, dicto Pighetto defecto, Aloysius obtinuit contra dictos approbatores, ut de dicto casu habetur actum *sub tit. de Cambiis in Appendice post Judicem disc.* 30. *seu fin.* ubi in specie respondetur ad dictas auctoritates præsertim ad *consilium* 47. Borrell. dum in contrarium ex ejusdem testimonio judicatum fuit; Et quoad Cephal. & Menoch. & Ludovic. advertebam illos loqui de simplici laudatore fidejussoris.

Quare juxtà sæpiùs insinuatur hodiernam regulam forensium quæstionum, in iis, quæ à voluntate pendent; Advertebam istam pariter esse potiùs quæsticnem facti, & applicationis, quam juris, pro facti qualitate, & casuum circumstantiis decidendam; Aut enim agitur de accipiendo aliquem in fidejussorem judicialem alterius, qui juxtà frequentiorem contingentiam, pro causa criminali, vel civili relaxandus esset; Notarius autem, vel alter, ad quem fidejussorem recipere pertinet, non habens illum benè cognitum, dubitet, undè propterea aliquis Curialis, vel alter, ad id facilitandum proferat cum Notario verba generalia laudatoria illius personæ, ita tamen, quod ex aliis circumstantiis non constet, ut laudator formalem approbationem super ejus fide facere voluerit; Et tunc probabilius est ut hęc simplex laudatio non redoleat laudantis obligationem de proprio, tanquam per speciem fidejussionis, nisi laudatio dolosa fuisset, quia nempè laudator rectè conscius de personæ laudatæ insufficientia, cum mendacio, ac falsa assertiva eum laudasset idoneum, ac probum, & in his terminis loquuntur Ceph. Menoch. & Ludovic. Atque docet etiam praxis quotidiana in famulis, qui accipiuntur, quoniam exquiri solet amicorum sensus famulum notum habentium, eamque laudantium, quoniam nisi formalis, ac positiva approbatio obligatoria accedat, simplex laudatio non obligat, præterquam ubi ea esset dolosa, & cum falsa assertione, ut supra.

Aut verò res nan remanet in terminis simplicis laudationis generalis, sed accedit formalis approbatio, Et tunc absque dubio hæc speciem fidejussionis redolere dicitur, præsertim in hujusmodi negotiorum speciebus, ex communi usu mercatorum, & negotiatorum qui benè justificatus fuit in dicto ajio casu, de quo *disc.* 30. *de Cambiis*, ac etiam in præsenti ratione subjectę materiæ, ob rationem assignatam *eodem disc.* 30. quod scilicet ille, qui contrahit cum persona ignota, non istius, sed approbatoris fidem principaliter sequi dicitur, potissimè ob amplitudinem verborum, quæ formalem approbationem obligatoriam clarè præseferre videntur, ideoque pro facti qualitate, ista quæstio decidenda est, præsertim attento communi usu, cui in hac materia principaliter deferendum videtur; Attendendo propositionem plures enunciatam *hoc titulo*, & *alibi*, quod inter negotiatores non proceditur per rigorosos juris apices, sed de bono, & æquo, sola facti veritate inspecta; Potissimum verò attento communi eorum usu; Ideoque observabam quod in casu, de quo infra alleganda *dec.* 169. Otthob. verba ibi in principio contenta, cum istis fraternizant, & tamen habitum fuit pro absoluto, ut importarent formalem fidejussionem.

Secundus punctus omninò planus videbatur; Tum ratione subjectæ materiæ, quod scilicet securitas non exquiratur pro sola arrha, vel impræstantia, sed principaliter, ut statuto tempore haberentur operarii prompti, ob quorum deficientiam in hac re agraria, maxima damna resultare solent; Tum etiam ob verba clara, & expressa superius insinuata super approbatione, ac observantiam omnium pactorum.

Super tertio, pariter modica fuit disputatio, ratione Patriæ, de qua dictus Joannes erat extra statum, ubi cum magna difficultate, hujusmodi excussio est practicabilis, ideoque benè disponitur per textum *in Authentica præsente C. de fidejussor.* ut sufficiat excussio in loco contractus; Ità pariter communi usu docente, quod cum hujusmodi rusticis contrahitur, sequendo fidem magis approbatoris, quam eorum, quorum excussio, nedum difficilis est